



HN. 617.

GEORGII
AGRICOLAE
DE ANIMANTIBVS
subterraneis
Liber.



M▷ D▷ XLIX▷



GEORGIVS

AGRICOLA GEORGIO

Fabricio S.P.D.

Vanquam duos libros de stirpi
bus scripsit Aristoteles, tamen
ijs Theophrastum discipulū nō
deterruit, quo minus suā de ijsdem stir-
pibus sententiam multis libris explica-
ret. Nec ipse Theophrastus tanta scien-
tia tātaq; copia studium Dioscoridis ar-
doremq; restinxit: sed etiam is posterita
ti seruiens quarundam arborum ac her-
barum figuras & uires, longo atq; mul-
to usu perceptas, literis memorieq; man-
dauit. Male enim se habuissent studia, si
ætate inferiorib. ad ea quæ à maioribus
erant inuenta, nihil addere licuisset, cer-
te si Græci hanc legem iniquam quon-
dam accepissent, nulla ars, nulla scientia,
nulla disciplina potuisset perfici. Qua-
propter eti Aristoteles libros complu-
res edidit, in quibus animantium natu-
ras, partes, ortus ratione & uia est perfe-
cutus

cutus: tamē philosophiæ deditos auocare nec uoluit, nec debuit, à studio tū perquirendi posterisq; prodēdi naturas eorum animantium, de quibus parum aut nihil scripsit: tum tractandi locos, quos in ijs libris nō satis expressit. Itaq; etiani apud Græcos Oppianus scripsit de piscibus, de animantium natura Porphyrius & Aelianus; apud Latinos item de piscibus Ouidius, de omnibus ferè animantibus Plinius. Quos scriptores ego secutus cum res subterraneas, quæ anima carent, exposuissim pluribus libris, ut rationem institutam, quoad fieri posset, absoluuerem, animantes etiam descripsi subterraneas. nec eas modo quæ perpetuo ferè uersantur in terra, sed eas quoq; quæ certis anni temporibus in eadem solent latere. Quo sane modo et bestiarum quarūdam formas Aristoteli & alijs uel incognitas, uel parum expressas, & illius locum de animantibus, quæ hybernis se condunt mensibus, uolui latius explicare. Hunc librum si probauero tibi, qui Latinis & Græcis literis in primis erudi

suditus, animantium naturas scrutaris,
& iam multarum cognitionem cepisti,
eū facilius, ut spero, ceteris qui tē rerum
occultarū studio delectantur, probabo.

Vale Kempnicij, III Idus Aug.
Anno M. D. XLVIII

a 3

HI SVNT SCRIP TORES, QVOS
rum inuentis usus sum, & qui me
ad hanc experientiam
excitarunt.

Aelianus	Lucanus
Albertus	
Alexāder Aphro- diensis	Martialis
Ammonius	Nicander
Aristoteles	
Aristophanes	Oppianus
Athenæus	Ouidius
Charisius	Plautus
Cicero	Plinius
Columella	Psellus
Corn. Tacitus	
Dioscorides	Seneca
Galenus	Strabo
Homerus	Theophrastus
Horatius	Varro
Iornandes	Virgilius
	Xenophon

GEORGII AGRICOLA
COLAE DE ANIMANTIBVS
subterraneis Liber.



OPVS subterraneum, ut res ipsa demonstrat, in animatum distribuitur, & inanimatum. quod autem animali expers est, rursus diuiditur in id quod sua sponte erumpit ex terra, & in id quod ex eadem effoditur. De altero inanimi genere dixi in quatuor libris de natura eorum quæ effluunt ex terra inscriptis, de altero in decem de natura fossilium: nunc de subterraneis animalibus dicam. Cum uero genus animalium omne constet ex quatuor elementis, & corpus humidum ac siccum, id est aqua & terra, ad accipiendum apta sint, necesse est ea ipsa duo elementa animalium materiam esse. Ex quo rursus illud quadam naturæ necessitate consequitur, ut omne animal & in aqua uel terra dignatur, & in eis commoretur atque uita fruatur. Nam bestiæ uolucres,

a 4 et si

S DE ANIMANTIBVS

et si passim per aerem uolitant, tamen in terra, uel in stirpibus ex ea natis, uel in edificijs super ipsam collocatis, construunt nidos, & eis aut terra aut aqua cibos suppeditat. Ut enim uerum sit quod per hibent, aues luteas, raras illas, et nō adeò magnas, quarum pennas insignes, item luteas & splendentes, rex Turcarum in superiori capitis parte integumentis involuta gestat, in aere perpetuum uitæ cursum tenere, foeminam ouis quæ parit, super marem locatis incubare & pullos excludere, neutram uiuam unquam pede terram attingere, quòd fistulam habeat per corpus penetrantem, qua aerē transmittunt, tamen solo aere nec ali uidentur posse, nec augescere, sed his quibus uescuntur. Ac uero etiam bestiolæ, quæ ~~euoi~~, propterea quòd in terreno isto igni gignuntur, à Græcis nominantur, terra & aqua non carent, gignuntur autem, ut Aristoteles scribit, in his Cypri fornacibus, in quibus lapis ærarius multos dies crematur: atq; magnis muscis paulo maiores sunt & subalatae. In igni ambulant & saliunt, sed emoriuntur

quàm

quam primū ab eo dimotæ fuerint. Ani-
mantum partim, tametsi latēre soleant,
non subeunt terræ rimas, nec foramina,
nec spēluncas: quæ in subterranearū nu-
mero non sunt. partim noctu, aut in-
terdiū subterraneas succedūt cauernas,
partim certo anni tempore: quarū utræ-
que eo ipso diei uel anni tempore sub-
terraneæ sunt, atq; dici possunt. partim
ferè perpetuo occulte in terra latēt: quæ
subterraneæ & semper sunt, & proprie-
dicuntur. Ut autem res expressior & illu-
strior fiat, paulo altius ordinar. Quoniam
animatæ omnes natura mutationes tem-
porum sentiunt, pleræq; frigoris aut ca-
loris uitandi causa uel regionē locūmque
mutant: uel ingrediuntur in domicilia;
aut arbores exefas & excavatas: uel su-
beunt terram. Earum autem quæ regio-
nem mutant, aliæ semel egressæ nunquā
reuertuntur, aliæ reuertuntur. nunquam
redire solent rationis participes, hoc est
homines. Etenim hi non modo frigoris
aut caloris uitandi causa alibi sedē collo-
cant, uerum etiam ex regionibus macris
& nihil ferentibus migrant in opimas &

a 5 . fertiles

fertiles: uel cum tanta multitudo fuerit
orta, quantam non satís cōmode alit re-
gio, partim aliò ad habitandū eunt. Quo
fanè modo alia ora parsq; terrarū onus,
quo premitur, in alia sāpe deponit. qui-
bus de causis Scādia, peninsularum om-
nium maxima, olim magnā Gothorum
copiam unā cum coniugib; & liberis
effudit in Sarmatiā & Daciam. Cim-
bros uerò & Teutones ex ultimis Gal-
liae Belgicæ oris, in quas è Germania cō-
migrarunt, maris inundationes exege-
runt. Et eadem ac terræ motus atq; eru-
ptiones ignium & aquarū calidarum ef-
fusiones ex Aenaria colonos, quos Hie-
ro tyrānus Syracusanus eò miserat. Atq;
his ferè de causis gentes aut uictæ ab his
quæ migrarunt, expelluntur & ejiciunt
ex proprijs sedib. ac possessionibus, ui-
cissimq; etiā ipsæ in alienas irruunt & eas
occupant: aut subactæ & bello domitæ
uictricibus seruifit: aut tam uictæ quām
uictrices communi conditione liberta-
tis eandem regionē obtinent. Simili mo-
do animātes rationis expertes, maxime
uolucres, ex regionibus in quibus & na-

ta.

te sunt & uiuere consueuerūt, nunquam
redituræ in exteris se conferunt: et si ra-
rūs. Quo pacto ab hinc annos sex locu-
stæ, diræ herbarum, leguminum, segetū,
stirpium, quas uastant, pestes, gregatim
inuolarunt in Pannonias, in Daciam, in
ueterem regionem Marcomannorum,
Lygiorumq; ut quondam etiā sæpe ex
Africa in alias Europæ oras. Quin ut in-
terdum unicus homo in longinquas re-
giones abit, nec redit unquam, ita unum
solum animal. quo modo annos abhinc
propè uiginti in Norico captum est ani-
mal canis uillis uestitum: cuius, ut cephi
Aethiopici, prioribus pedibus similitu-
do erat cum humanis manibus: posterio-
ribus cum humanis pedibus. Et Alberti
cognomento Magni temporibus in Sla-
uorum syluis comprehensæ sunt animan-
tes duæ mas & foemina, quarum pedes
prioræ item erat similes manibus huma-
nis: posteriores pedibus humanis. eas ue-
rò ipse putauit esse in simiarum genere.
Ac ibim Aegyptiam in Alpibus à Mar-
co Egnatio Caluino præfecto uisam Pil-
nius memorie prodidit. Aquilam quoq;
Nor

Northusæ in Toringia, quum ibi conseruisset mortuam scimus. Hoc etiam anno, qui est octauus & uicesimus imperij Caroli quinti, Ianius quidā Dincelsphy-helensis aquilam profligatam occidit, et quasi donum senatui attulit. quæ aquila in eum in equo sedētem, pridie Epiphaniæ prope Rotelin oppidū impetu tam violento inuolauit, ut non procul abeſſet à periculo uitæ. Eadem modo uerisimile est aliquos etiam pisces, cum semel reliquerunt mare, in fluuios, qui per longinas regiones fluunt ingredi, & nunquam in idem redire. Hactenus de generibus animantium dixi, quæ in regionem è qua egressæ sunt nō reuertuntur: nunc dicam de his quæ reuerti solent. quæ & eadē sunt, & eadem ferè de causa, caloris scilicet uel frigoris uitadi, à regione, cuius incolæ sunt, semigrant: & quidem estate in locis frigidis, hyeme in tepidis morantur. Etenim homines qui ualeitudini dant operam, ut tueri se possint à calore, in aestiuis sunt: ut à frigore, in hybernis. qui mos in primis fuit Romanis. Atq; etiam reges & domini multarum

tarum gentium æstate in alias terras ab-eunt, in alias hyeme. nam reges Persarū olim hyberno tempore Babylone degebant, uerno Susis, æstiuo in Ecbatanis. Eodem modo bestiæ uolucres & aquatiles solum mutant & secedunt: quarum alię in his ipsis regionibus et locis, in quibus æuum agere consueuerunt, refrigerationem in estate, in hyeme tempore solent persequi: alia in longinquis & ultimis. Ac ferè uolant, natant, eunt ad habendum in locis, in quibus aer ita sit temperatus, ut cibos ferat uel suggerat. quorum nascendi facultatem eis adimit terra, quando frigore obrigit, uel calore exaruit: aqua eos non suppeditat, quando conglaciauit. Aues enim quædā æsti uo tempore in syluis, hyemali ad horrea & tecta pleruncq; commorantur: ut pica, cornix, lurida, quam ἄρτος Græci, Latini uocat galgulum. quædam cum æstate euū agant in sylvis, hyeme demigrant in finitimos locos apricos, montium recessus secutæ: sicuti uultures, milui, sturni, turdi, merule, palumbes, upupe. aquatiles etiam uolucres temporibus hybernis

nis se conferunt ad lacus & fluuios, in austri partibus sitos, qui frigore nō congelant: aut ad aliquam fluminum partem, cui aqua nō conglaciat: ut ardeolæ, mergi, corui aquatici, onocrotali, fulicæ, anates immansuetæ, querquedulæ: quedam ab ultimis quasi terris discedunt in ultimas: ueluti grues. Etenim, quod Aristoteles tradit, ex Scythiaæ campis proficiuntur ad paludes Aegypto superiores, unde Nilus profluit. Abeunt etiam longius olores, ciconiæ, immâsueti anseres. Pauce uero aues hyeme in sylvis manent, ut tetraones, attagenes: minus multæ in agris, quarum in numero sunt perdices. Item piscium alij, ut uitare possint solis calores, æstate de littore abeunt in altum: & contrâ, ut consecrari queant tempore hyeme ex alto, in quo se merserât, emergunt, ac in littore uersantur: ueluti delphini: alij ex mari ingrediuntur in mare, ut thynni hyberno tempore ex Pontio in magnum mare: & contrâ uerno ex magno mari in Pontum. Alij eodem tempore in fluuios, ut salmones, esoces, thynni, sturiones. Atque haec animantes

tes subterraneæ dici non possunt: ut nec
ullæ aliæ quæ terræ cauernas non succe-
dunt: etiam si frigoris uitadi causa hyber-
nis mensibus, caloris æstiuis occultetur
& lateat. quales sunt in hominum gene-
re qui multum frigidas aut calidas regio-
nes habitant. nam qui illas hyberno tem-
pore, qui has æstiuo in domibus latet, in
quadrupedum genere erinacei: hyeme
enim se cōdunt in cauas arbores, in quas
autumno poma comportarunt. Simili-
ter glires & mures Pontici, ac serpentes
quidam se condunt in cauas arbores: sed
hi ipsi maxima ex parte, ut postea dicā,
saxorum cauernas succedunt. Quædam
etiam blattæ & aselli rimis parietum &
domorum latebris occultantur. Formi-
cæ quoq; condūtur in aceſuis, in quibus
congerendis uere & æstate multum ope-
ræ & laboris consumperunt. Apes i-
tem hyeme ingrediuntur in alueos: cra-
brones syluestres in cauernas & quosdā
quasi níulos arborum: uespæ in earun-
dem domorūm uel níulos, quos æstate
construxerūt. Similiter hyeme latent in
cauis arboribus non paucæ uolucres, ut
cuculus

cuculus, picus, coruus, cuius caput rubra macula insigne, qui propterea *wug-
gorōgæf* à Græcis nominatur, upupæ quædam. At hirundines tam domesticæ agrestes in loca uicina quæ sunt tepidiora secedunt: quæ si defuerint eis, se in angustis montium locis cōdunt, in quibus aliquando etiam sturni, palumbes, turutes, merulæ, turdi, alaudæ, upupæ latere confueuerunt. Siue autem in arboribus siue in montib. latuerint, ea de causa uero tempore deplumes solent conspici. Satis multa, & fortassis plura quam instittuta ratio postulabat, dixi de his animantibus quæ caloris frigoris uite uita non subeunt terræ neq; rimas neq; foramina, neq; speluncas. Quanquam que dicta sunt, ita apte natura cum his que se quunt coherent, ut distracta uix possint satis cōmode explicari. Igitur animantium, quartū gratia potissimum hūc scribēdi laborem suscepi, tria sunt genera. Quædam enim uel noctu uel interdiu subeunt terræ cauernas, atq; in eis delitescūt, dormiuntue: sed pleræq; omnes etiam hymene egrediuntur ad pastum capescēdum.

quædam

quædam certo anni tēpore subterraneas succedunt cauerñas, & in eis graui somno pressæ aliquot menses consumunt. Quædam ferè pérpetuo occulte in terra latent, primi generis non solum terrenæ sunt, sed etiam uolucres. Uerum terrenas primo persequar. Earum autē in numero habētur homines cauerñas succeden-tes, qui ex eo nominantur Troglodytæ. quorum alij eas cauerñas subeunt calo-tris uitandi causa, ut qui in Africa habi-tant ad mare rubrum: alij frigoris, ut qui in Asia post Caucasum montē incolunt planiciem septētriones uersus sitam: & sylvestres homines, qui in Scandiæ re-gione Scricfinnia noctu nautis infestū sunt: quos iij rogīs ardentibus abigunt. In Armenia etiam maiori, ut Xenophō optimus author scribit, sunt domus sub-terraneæ, quarum ostium putei instar an-gustum est, inferior pars lata: aditus iu-mentis sunt fossiles, homines descendūt gradibus. Quin in Tenedo insula pisca-tores hodie rupium speluncis pro domi-bus utūtur: ut quondam Sybilla Cumæa antro illo ad Auernum lacum tam musi-

b uo

uo opere insigni q̄ uaticinationibus nobili. Et Circe, mulier cantionibus clara, habitauit ὧ αὐτέως γλαφυροῖσι, ut Homerus canit. In Sedunis etiam in tractu Sittensi ad Bremisam pagum ex rupe excisa sine ullis tignis & trabibus ligneis formatum est integrum cœnobium, hoc est templum, cubicula, conclave, culina, celia uinaria. Similiter in altis montibus conspicuntur arces subterraneæ: ut quæ in Saxonia inter Blancheburgum & Halberstadium est: quæ in Toringia inter Vimariam et Blanchenhainam prope Mellingum pagum: illius nomen est Reinesteinum uetus, huius Pufhardum: atque ea distat à Vimaria quatuor milib. passuum. utraq; ab habitatoribus nunc deserta est & uacua: utraq; habet in saxo incisa hypocausta, conclauia, scamna, stibula, præsepia, ianuas, fenestras: Saxonica uero etiam templum, supra quod incolæ exstruxerunt speculam, quæ sola subiecta fuit sub aspectū. Hoc templum testudinis figura, & pila media rotunda insigne est: cætera omnia sunt quadrata. Ipse mons Saxonius præceps est ex omnibus

mini parte, præter eam qua ascenditur. in cuius planicie excelsus collis clementer assurgit, qui qua parte planiciem spectat fossa satis alta & lata circumdatur. ex his collis saxo arenario, nonnihil rubro, exciso formata est arx illa, cui multæ & magnæ fenestræ. quin in pede ipsius montis celle sunt subterraneæ cum equorum item stabulis. Vt ratiō arx hoc enigma pēperit usitatum Saxonibus & Toringis,

Dic quibus in terris arx alto condita monte

Mille ubi per tectum possunt errare balantes.

Hoensteini etiam, quæ arx est Misene trans Albim, equorū stabula in saxo incisa sunt. Et Prenestinæ fossæ subterraneæ literis celebrantur, in quarum una Caius Marius obsessus extinctusq; occidit. Græcas quoq; mulieres, quæ meretricium quæstum faciebant publice, in cellulis subterraneis habitasse ex comitorum scriptis apparent: à quibus χειματύπαι nominantur. Et ganeū ἀρχῆ γάς, quod esset in terra, dictum putat Terentij interpres. Tales etiam cellæ Romæ

b 2 fuerunt

fuerunt, & frequētiores quidem sub cīrco maximo, qua pertinet ad naumachiām, & in uico Suburano, & Summænia-no atq; Thūfco. In maritimis quoq; Ger-manię quibusdā urbibus, sicut in Prussiā Dantisci, & in Saxonibus Lubeci, bona uulgi pars sub terra habitat in testudini-bus, super quas exstructæ sunt magnifi-cæ domus, quæ à dominis incoluntur. Eodem modo cuniculus, uulpes, lutra, meles, & fortassis alia quædam bestiæ subeunt cauernas, sed egrediūtur ad pa-stum capescendum etiam hyberno tem-pore. Ac cuniculus quidem multos fo-dit specus, & in colles terrenos agit cuni-culos: ex qua re nomen inuenit. Mane & uesperi egreditur, reliquo tempore fe-re latet. Aliquos autē specus operit pul-uere, ne deprehendātur. Sed eum uiuer-ra atque parui quidam canes, quibus est ad inuestigandum sagacitas narium, in specus & cuniculos immissi, aut liquor feruens in eosdem infusus, fugatum & exturbatum pellunt in retia, quibus ca-pitur. Cuniculis autem non unus est co-lor; uel enim in cinereo fuscus, uel lepo-ri

ri nonnihil similis, uel maculosus: quo modo candidi nigri uel rutilis maculis stellantur. Vulpes uero in primis ad fraudem callida, non tam ipsa fodit specus, quam ab alijs animantibus effosso occupat. Et melem a specu praecepto, quia eius os stercoribus inquinat, foetore abigit. Venatur lepores, cuniculos, mures, gallinas, aues, pisciculos. Dolose autem agit omnia. Etenim saepe lepores & cuniculos, dum simulat se cum eis colludere uelle, capit incautos: muribus, ut feles, insidiari solet. gallinas noctu, clam ingressa in casas, prehendit & asportat. aues, dum insidiose se fingit mortuam, ad ipsam aduolantes, captas necat & devorat. Cauda, quam huic animali magnam & uallis densam natura donauit, a ripis in flumen demissa, pisciculos in eam innatantes capit: & cum paululum de ripa se subduxerit, illam conquassans pisciculos captos excutit in terram ac devorat. Retrorsum etiam gradiebo ad nidulum uesperum accedit, quod sibi ab earum auleis metuat: ac cauda in nidulum immissa, uespas excipit. mox his ipsis refer-

b 3 tam

tam extrahens proximo lapidi, uel arbo-
ri, uel parieti, uel maceriae illidit. omni-
busq; uestis isto modo oppressis & in-
terfectis nidulum uastat atque exinanit.
Eadem cauda canem, cum eam insecta-
tur, hac & illac per ipsius rictum ducta,
eludit. At erinaceum, quod ob metum
se in globum concludat, ut se spinis undi-
que possit defendere, permixxit, & eum
suffocat. Etenim propter urinam in ipsius
os influentem spiritum ducendi nul-
lam habet potestatem. Ea uero uulpis,
qua canis mediocris magnitudo est. Co-
lor autem saepe rutilus, priori tamen par-
te canescens: raro candidus, rarius niger.
Fiber etiam & lutra egrediuntur ex ripa
rum caverinis, in quibus latet, & se in flu-
minibus mergunt, ac pisces capiunt qui
bus uescuntur. sed fructus quoq; & cor-
tices arborum comedunt. Lutra autem
alutando appellatur. Frequenter enim
se lauat cum capiendo piscis causa se in
aquas, immo saepe in earum profundum,
penitus immergit. Corpus ei latius &
longius fele, pedes breues, dentes acuti.
a fibro cauda, posterioribus pedibus, pi-
lis

lis differt. Nam lutra caudam habet longam & reliquarum quadrupedum similem: fiber piscis. squamis enim obducta, admodum pinguē, latam fere palmum, longam dorantem. Is si iacet in gradibus, caudam et posteriores pedes demittit in flumen cum frigoribus cōglaciatur: si natat, cauda mota quasi remigare solet. Lutræ autem pedes omnes caninis sunt similes: fibri priores caninis, posteriores anserinis. Etenim membranæ quædam digitis sunt interiectæ. itaque hi ad natandum, illi ad eundum magis nati apti: nam in aqua & in terra uiuit. Fibri uero pilus est in cinereo candidus et inequalis: ubique enim à brevib. duplo longiores existunt. sed lutra fuscus nonnihil ad castaneæ colorem deflectit & breuis ac equialis est; utriusque uero nitidus, & mollis. quare utriusque pellibus concisis fimbrias uestium ex pellibus nobilibus confectarū, solent exornare: quamquam lutra pelles longe præstant fibri pellibus. Fiber autem in primis prouidus est & solers. etenim fruticibus & arbusculis dente, tanquam ferro, resectis ante riparum cauer-

nas cōstruit paruas quasdam casas, & in ijs duos trésue gradus, quasi quasdā cameras; ut cum aqua fluminis crescens in undauerit ripas, ascendere possit: cum decrescens, descendere. Atq; etiam cum arborem iam ferè secuit, quoties ictum facit, toties suspiciēs considerat num sit casura. Timet enim ne, si eo ictu concidat, ab ea, priusquam recedere de loco possit, incautus opprimatur. Nec uero minus est constans in proposito quam solers. nam quam arborem ad ripas primo elegit secandam, eam non mutat, etiam si longo temporis spacio dissecare non possit. Hoc animal uenamur nō modo propter caudam qua uescimur, & pellem qua uestimur, sed etiam propter testes, quibus ut medicamentis, utimur. Eos castorea medici nominant. Fibrum enim Græci uocant κάσσας. At miles exit è cauernis & uagat in syluis non aliter atq; lupus, lupus ceruarius, lepus, aper, ceruus, tragelaphus, tarandus, alce, platyceros, caprea, ibex, rupicapra, dama, & aliæ plures. Verum hę animantes in syluis cubant; posteriores tamen in altissimis

tissimis montium saxis & rupibus. Meles autem aude appetit mel, ex quo nomine hoc duxit. Magnitudine est uulpis aut canis mediocris, cuius quodammodo speciem prae se fert, maxime caninus. Nam eius duo sunt genera. Vnum canis infstar digitatum, quod caninum vocant: alterum unguis, ut sues, habet bisulcas, quod idcirco suillum appellant. Omnibus autem melibus crura sunt brevia, dorsum latum, cutis spissa, cuius in metu sufflatæ distentæ, utor Plinius uerbis, ictus hominum, & morsus canum arcent: quamquam, si quando cum ipsisdem pugnant, ualde mordent. Duris uestiuntur uilis, qui sunt uel albi uel nigri, & dorsum quidem abundat nigris, reliquum corpus albis, excepto capite, quod alternis quibusdam quasi lineis nigris & candidis à supra capitis parte ad rectum ductis decoratur. Crassæ autem meles non sunt, pingues tamen: quæ eorum pinguis tudo inuncta, uel cū alijs infusa, renum dolores sedat. Ex huius animalis pelle collaria fiunt, quæ ex eo melia à Varro nominantur. In ripis etiam fluminum

b 5 &

et lacus nidos singūt halcyones. nec Āris
stoteli latuit eas in fluuios ascēdere, sed
hyeme nō occultant̄. Avis est nō multo
maior passere. Cū aut̄ marinæ halcyonis
corpus totū colorib. cæruleo, viridi, sub-
purpleo, sed mistis insigne sit, adeo ut
nec collū, nec ale aliquo ex eis careat, et
rostrū habeat subviride, longū, tenuē: flu-
uiatilis seu ripariæ pectus purpureū est,
collū & dorsum in viridi cæruleū, ale fu-
scæ, rostrū, ut etiā pedes, cinereū. Vescit
pisciculis & uermibus. Lagopus quoq;
in altissimarū Alpiū specub. iuxta glaciē,
quæ tota nunq; æstate solis calore calefa-
cta, uel alijs etiā anni tēporib. imbre dila-
psa diffundit, nidos cōstruit & cubat. Ex
pedibus, quos habet leporis instar uillis
& quidē candidis, non plumis, uestitos,
nomen traxit. Ei magnitudo columbae.
Color hyeme candidus, æstate in candi-
do cinereus. Longe non uolat, sed Alpi-
bus se tenet. Capta non uiuit, nedū man-
suecit. Caro huius avis sano palato est
bona, ægrotō salutaris. At aues, quibus
oculi diurno spacio sunt hebetes, acres
acutiq; nocturno, interdiu latere, noctu-

ex

ex latebris euolare, & ad pastum solent accedere: quas idcirco nocturnas appellant. quales sunt uespertilio, bubo, ulula, noctua, nycticorax. Verum haec non solum in tenebris oculis motum & rupium caverne latent, sed etiam in cauis arboribus, in edificijs desertis, sub tectis domorum magnificarum & templorum & turri, quae raro homines succedunt. Vespertilio autem uenatur culices & muscas, exedit pernas, aliasque carnes suillas de trabibus suspensas. Cæteræ aues nocturnæ prosequuntur mures, hirundines, aues, scarabeos, apes, uespas, crabrones. Sed bubo etiam capit lepusculos & cuniculos. Ea omnium nocturnarum avium maxima ex sono, immo uero gemitu, quem edit, mihi uidetur nomen inuenisse. Caput habet magnum corpus anseris magnitudine, breve tamen & quasi decurtatum ac colore uarium: rostrum curuum, ungues aduncos, oculos grandes. Hunc non multum dissimilis est ulula, sed minor: quæ item ex ululantio uoce nomen hoc traxit.

Cum his duabus cognationem habet noctua

noctuæ, sed differunt uoce. Nec enim uulant, uerum edunt sōnum, quem Aristophanes *λυκεῖαν* nominauit. Earum quatuor sunt genera. Vnum, cui pluma aurium modo eminet: quod maximum est, & asio uocatur. Alterum eximij candoris in gutture & uentre, alioqui candidis et luteis maculis alternis distinctum. Tertium paruum, quo, ut etiam sequenti, aucupes uenantur aues. Quartum minus illo: quod in rupibus saxisq; uersat. Hoc, sicut & proximum, cinereis & candidis maculis uariat, item alternis.

Nycticorax autem, hoc est coruus nocturnus, niger est, ut alterius generis coruus, sed eo pleruncq; minor. At uesper tilio, quæ ex uespere, quo euolat, nomen hoc duxit, muri non nihil similis est, quare scite scripsit Varro: factus sum uesper tilio, neq; in muribus planè, neq; in uolucribus sum. Alas enim habet & uolat, quod ei non conuenit cum muribus: sed animalia parit, nō oua, in qua re cum uolucrum natura non congruit, & foetus uberibus admotos lacte nutrit, cum uolutes cibos conquerant undiq; quos in os

os pullorū inferant. Præterea sunt ei dentes, quibus carent uolucres. Caput autem simile habet muri uel cani : aures plerumq; duas,raro quatuor: dentes serratos : corpus obscure fuluis pilis uestitum,rostrum tamen nigrum, item aures alas duas , quæ ut draconis & piscis uolantis, non ex plumis constant , sed ex membranis,& quidem nigris . In utrāq; uero ala habet digitum , cui est unguis. caudam latam, & sicut alas membranaceam,in qua duos pedes,quorum uterq; quinos habet digitos uncis unguibus armatos,quibus in parietibus & rimis cavernarum adhærescit . Aut enim pendet,aut uolat,aut iacet. Quia uero pedes non oriuntur ex corpore, sed ex cauda, ei esse traditur coxendix una. Vocem acutam ut mus nō emittit, uerum ferè ut catellus latrat . Geminos autem , ut Plinius,uolitat amplexa infantes , secumq; deportat . Cauda & alis affixa dies aliquot uiuit. Quinetiam Troglodytæ, qui in Africa habitant interdiu , maxime uero meridie latent in suis specubus.

De primi generis animantibus , quæ noctu

noctu uel interdiu in terræ cauernis de-
litescunt dormiūntue satis. Abeo ad se-
cundi generis animantes, quæ certo an-
ni tempore, ut dixi, subterraneas cauer-
nas succedūt, & in eis graui somno pres-
ſæ menses aliquot, quasi mortuæ sine ci-
bo consumunt, ac usq; ad finē eū latent,
dum tempore ueris humo excitatae reuiu-
scunt, & reminiscūtur cibum, quem tan-
to tempore oblītæ erant sumere. Tamet
si ex his de quibus iam dixi, aliquæ sunt
etiam, ut omnis generis quædam bestiæ
sunt, in harum numero, ut suo loco dicā.
sed terrenas hic quoq; primò persequar.

Itaq; multæ quadrupedes hyemis aut
æstatis tempore se in specus condunt.
Etenim mures Alpini autumno subeūt
cauernas, in quibus æstate cubare con-
fuerunt. Nam in eis ex foeno, stramen-
tis, farmentis exstruunt cubilia, in qui-
bus totam hyemem usq; ad uer erinace-
orum instar cōuoluti delitescunt & dor-
miunt. In una caverna plerunq; septem,
aut nouem, aut undecim, aut tredecim.
Mira uero eis machinatio & solertia cō-
scenū ac reliqua iam congefferūt. Vnus
enim

erim humi stratus erectis pedibus omnibus iacet in dorso, in quem, tanquam in plaustrum quoddam, cæteri ea quæ congesserunt, coniçciūt, & sic onustum, cauda mordicus apprehensa, in specum trahunt, & quasi quodam modo inueniunt, ex quo euenit, ut per id temporia detrito dorso esse videatur. Itaq; postea quam cubilia in specu strauerint, ipsum aditum atq; os eius farmētis & terra obstruunt & obturant, ut tuti à uentorum ui, ab imbris, à frigore esse possint. Tam autem arcte et grauiter dormiunt, ut effossi & extracti non excitentur antequam in sole expositi uel ad ignem locati concaluerint. Hic mus cognomen ex Alpibus in quibus nascitur, traxit. color ei est aut fuscus, aut cinereus, aut rutilus: magnitudo ferè leporis: muris species ac figura, ex qua mus dicitur. Attamen mutilas habet aures & quasi decurtatas: priores dentes longos & acutos: caudā amplius duos palmos longā, pedes breves & uillis superius refertos: digitos pedum ursinis similes: ungues longos, quibus alte effodit terram: posterioribus pie- dibus

dibus non secus ac ursus ire solet, ac interdum ingredi bipes. Si cibus huic animali datur, eum in priores pedes sumit, ut glis: ut idem glis & simia erectus usq; eo in clunibus residet quoad ipsum comederit. Vescitur non modo fructibus, sed etiam pane, carne, piscibus, iure, pulmendo: cupide uero lacte, butyro, caseo. quae cum mandit oris suetu sonitum sic uti porcellus edit. Multu dormicat et uigilat, semper aliquid agit, stramina, foenum, rallas, linteola cubili suo importas, quibus os ita complet, ut nihil amplius capere possit. reliquum pedibus accipit & trahit. Cum irritatus exarserit iracundia, acriter mordet. Si quādo inter se collidunt mures Alpinī, ut catelli clamore faciunt. Cum ē cauerna montiuagi egreditur ad pastum, ex eis unus aliquis remanet iuxta illius aditum, quām potest diligentissime & longissime prospiciens. Is cum uel hominem, uel armētum, uel feram uiderit, sine mora claimat. quo audito undiq; omnes ad cauernam concurrunt. Eorum autem vox fistulæ acutæ & laedetis aures similis est, qua & mutationem.

tationem aeris significat, & sibi quid aduersi accidere. Dorsum ualde pingue habent, quum cæteræ corporis partes sint macræ. quanquam hæc uere nec pinguitudo nec caro dici potest: sed, ut mamilarū caro in bubus, inter eas est medium quiddam. Illud ipsum utile est puerperis, & his quæ ex utero laborant. quibus etiam earum prodest pinguitudo. Vigilias præterea tollit. Glires etiam hyeme nō solum in cauis arboribus, de qua re suprà dixi, sed in terræ latet specubus. Glirem autem Aristoteles ἐλεόν à uertendo nominat. Vertit enim & sursum uersus inflectit caudam. qua de causa alij Græci καμψίουρον uocarunt: aliqui uero σκιόυρον, quod cauda sua uillis uestita & conferta, quasi flabello corpus soleat inumbrare: aliqui μῶσ σκίρον, quod præterea similitudinem quandam gerat species muris. sicut etiam glis Fennicus, qui non cauda, non figura & liniamentis totius corporis, nō magnitudine, nō moribus, sed solo colore differt à nostrate glire. nam in cädido cinereus est, cum glis nostras sit aut rutilus, aut niger. atta-

c men

men in ea Sarmatiæ parte, quam hodie Poloniā uocamus, inuenitur cui rutilus color mistus cinereo. Vtricq; autem gliri, hoc est tam Fennico quām nostra-
ti, duo inferiores dētes sunt longi. uterq;
cum graditur, demissam caudam trahit:
quum uescitur, cibum in priores pedes,
quibus ut mures utitur pro manib; su-
mit: posterioribus & clunibus insistit. ue-
scitur uero faginis glandibus, castaneis,
nucibus auellanis, pomis, & similibus
fructibus. Vtricq; cum hyberno tempo-
re latet, pro cibo somnus. atq; per id tem-
poris pinguescunt. Quare recte de glire
scripsit Martialis,

Tota mihi dormitur hyems, & pín-
guior illo

Tempore sum, quo me nūl nisi som-
nus alit.

Eius autem caro dulcis. Etsi uero glires
uiuunt in syluis, ut non immerito de eo-
rum penuria in Fundanio uel de admi-
randis Varro his uerbis conqueratur,
Glis nullus est in sylua mea: tamen uete-
res gliraria habebant. Quæ qualia debe-
ant esse, idem Varro libro tertio Dere-
rustica

rustica tradidit. Et hodie in quibusdam locis sylvestribus incole fodiunt tellure, ut in eius caverne glires inhabitare, & quando uelint eos capere, & in cibo uti possint. Apud Romanos uero gliribus uiuaria in dolis Fulvius Hirpinus instituit, ut Plinius scriptum reliquit.

Mus autem Ponticus, quem hodie uocant Hermelam, hyeme solum in cavis latet arboribus, ut supra dixi. Est uero totus nivis instar candidus, excepta cauda digitum longa. eius enim dimidia pars, & quidem superior, nigerrima. Huic animali magnitudo gliris. Persequitur murres & aues quibus uescitur. Eius pelles in preciosarum numero habet: ut etiam muris quem Lassicium uocat. is in cinereo candidus est, nec duobus digitis crassior. At mus Noricus, quem Citellum appellant, in terrae caverne habitat. Et corpus ut mustelae domesticae, longum & tenue: cauda admodum brevis: color pilis, ut cunicolorum quorundam pilis, cinereus, sed dilutior. Sicut talpa caret auribus, sed non caret foraminibus, quibus sonum ut auis recipit. Dentes habet

6 2 muris

muris dentium similes. Ex huius etiam pellibus, quanquam non sunt preciosæ, uestes solent confici. Subit etiam ter ræ cauernas mus Pannonicus, cui color subuiridis, species mustelæ, magnitudo muris. Sorices quoq; quibus sunt aures pilosæ, hybernis mensib. se condunt in terra excavata. Mus etiam sylvestris non tam in arboribus latet, quas ut glis & mus Ponticus sc̄adit, quam in terra, in cuius cauernas congerit fructus: in primis uero nuces auellanas, & eas quidem optimas. Quare apud Germanos ex corilo nomen inuenit; nam ei nō præcibo somnus, sed prouisum pabulū. magnitudine corporis nō differt à glire, uerum colore, qui ei fuscus: & cauda, quam non habet uillis confertam & plenam, sed ab eis nudam, ut cæteri mures.

Mus autem araneus ueluti reliqui mures domestici, non latet in terra, tametsi in ualle Ioachimica ex proximis domici lijs in cuniculos ingrediat, & in his uersetur. Alioqui hyberno etiā tempore in domibus nostris solet uagari. qui ex eo, sicut mihi uidetur, est nominatus, quod muri

muri similis sit: nempe pilis subnigris, capite longiusculo, cauda procera, tenui, nuda pilis: & quod ut araneus parietes scandat. Eum Græci uocant *μυάλω*. Etenim speciem, ut dixi, gerit muris, & mole corporis mustelæ magnitudinem assequitur & exæquat. Eius morsus plerumq; est pestifer: sed ipse diuulsus aut dissectus & uulneri impositus proprio ueneno medetur. At in terra latent aliquot mustelarū genera: nā plura sunt. est enim mustela domestica, quā Græci *γάλω*, Germani ex sono quem edit, uise iam nominant. Ea plerumq; est in dorso & lateribus rutila, raro subfulua: in gutture semper candida. quin nōnunquam tota candida reperitur, quanquam rarius. Corpus habet tenue, & in longius ductum: caudam breuē, primores dentes breues, non sicuti mus, longos. Catulos nuper natos, quia ab hominibus & non nullis alijs animantibus eis periculū metuit, singulis diebus alio transfert. Per se quitur mures, depugnat cum serpentibus, sed ut à ueneno tuta sit prius edit ratam. Vbera uaccarū mordet, quæ quam

c 3 pri

primū in tumore fuerint, mustelina pelle perfricata sanant. hęc mustela si nostrę domi uiuit, et si habet suas cauernas, non diu ac multū se cōdit; si ruri, hyberno tēpore in specub. latet. Secundū mustela rū genus Germani iltis nomināt ex Græco uocabulo *ἰξις*, quo erudita illa gēs appellat syluestrē mustelā. id uero habitat in riparū cauernis, ubi lutræ & fibri more pisces captos comedit: & uersat in suis, ubi prehendit aues: in domibus, ubi gallinas: quare Plinius eam esse domeſti- cam dicit: quarum sanguinē exugit, sed ne clamare possint, earum capita pri- mo mordicus aufert. Atque etiam ea- rūndem oua, quæ furari solet, ac multa in unum congerere, exorbet. Aliqua- to maior est mustela domeſtica, minor ea sylvestri, quę martes uocatur. pilos ha- bet inæquales & non unius coloris. Ete- nīm breues subfului sunt: longi, nigri, qui sic ex multis corporis partibus emi- nent, ut distinctæ nigris maculis esse ui- deant. attamen circa os est candida, cum grauiter exarserit, male olet. Quocirca nostri uilissimū quodq; scortum, & ma- xime

xime fœtidum, pellem ictidos solent nominare. Tertium mustelæ genus etiam sylvestre, in saxorum rimis & cauernis cubat, quod à Martiale martes, à Germanis martarus nominatur. Martialis uersus hic est in libro decimo Epigram. ad Maternum,

Venator capta marte superbus adeſt.
 Ei magnitudo felis, ſed paulo lōgior eſt.
 crura uerò habet breuiora, itemq; breuiores ungues. Totum eius corpus pilis in fuluo ſubnigris uestitur, excepto gutture, quod candidum eſt. Hæc mustela, ſimiliter atq; proxima, ingreditur domos & necat gallinas, earumq; ſanguinē exugit, & oua exorbet. Quartum mustelæ genus item sylvestre, in arboribus uitā uiuit, quod etiam uocabulo martis appellatur. Ea mustela ſylvias insolenter & raro deserit: atque in hoc diſſert à proxima ſuperiore mustela: & inſuper quod guttur eius lutei ſit coloris, & quod reliqui corporis pilus magis ſit obſcure fuluus. Huius duo genera quidam eſſe censent: unum quod in fageis ſyluis uerſat: alterum quod in abiegnis, atque id ſanè

c 4 eſt

est aspectu pulchrius. Quintum mu-
stelarum genus omniū pulcherimū &
nobilissimum est, quod Germani zobe-
lam uocant; in syluis, ut martes de qua iā
dixi, degit, ea paulo minor, tota tamē ob-
scure fulua, præter guttur, quod habet ci-
nereum. Mustelæ horū trium generum
bonitate cæteris omnibus eo magis præ-
stant, quo plures pili candidi cum fuluis
permisti fuerint. Zobelinæ autem pel-
les precij maioris sunt quām panni au-
ro texti. Etenim comperi optimas qua-
draginta numero, tot enim uno fasci-
culo colligari & unā uendi solent, plus
quām milibus nummūm aureorum ue-
nisce. Omne autem mustelarum genus
ira incitatū graue quiddam olet, sed ma-
xime id quod Germani iltis appellant,
omnis preterea mustelæ stercus aliquan-
tum redolet muscum. Noerza autē,
quæ item in syluis uersatur, magnitudi-
ne est martis; pilos uero habet æquales,
& breues, atq; colore ferè similes lutræ
pilis: sed noerzæ pelles longè lutræ pel-
libus antecellunt. atq; hæ etiam præstant
si pili candidi cum reliquis fuerint misti.

Reperi

Reperitur hoc animal in vastis & densis sylvis quæ sunt inter Sueum & Vistulam. Etsi vero mustelæ omnes nechibernis latent mensibus, neq; subeunt terram, tamen earum formas expressi singulas, quod id, ut arbitror, rerum natura lium studiosis utile sit futurum. At uiuerra quæ cuniculos ex specubus exturbat, paulo maior est mustela domestica. Color ei in albo buxeus. Audax hoc animal & truculentū, ac omni ferè animantium generi infensum atq; inimicum natura, sanguinem earum quas momordedit ebibit, carnem non fermè comedit. Istius generis est etiam hamester, quem quidam Cricetū nominant. Etenim existit iracundus & mordax adeo ut si eum eques incaute persequatur, soleat proslire, & os equi appetere: & si prehendedit, mordicus tenere. In terra cavernis habitat, non aliter atq; cuniculus, sed angustis: & idcirco pellis, qua parte utrinque coxam tegit, à pilis est nuda. Maior paulo q; domestica mustela existit. pedes habet admodum breves. Pilis in dorso color est ferè leporis: in uentre niger, in lateribus

teribus, rutilus. Sed utruncq; latus maculis albis, tribus numero distinguitur. Suprema capitinis pars, ut etiam ceruix, eundem, quem dorsum, habet colorem. tempora rutila sunt, guttur est cādīdū: caudæ quæ palmum longa est, similiter leporis color. Pili autem sic inhærent cuti, ut ex ea difficulter euelli possint. Ac cutis quidem facilius à carne auellitur quam pili ex cute radicitus extrahantur. Atq; ob hāc causam & uarietatem pelles eius sunt preciosæ. Multa frumenti grana in specū congerit, & utrinq; dentibus mandit. Quare nostri hominem uoracem huius animatis nomine appellat. Ager Turingie eorum animalium plenus ob copiā et bonitatē frumenti. Viuerre minor est uormela, & magis uaria. Etenim præter uentrē, qui itē niger est, totū corpus albis, subluteis, rutilis, obscure fuluis maculis decorat. Cauda etiā, quæ longa sequipalmū, habet pilos cinereos cū cādīdis permistos, sed extrema parte nigros. Hactenus dixi de murium & mustelarum ac cognatorum animalium generibus, quorum maxima pars succedit ea uer

uerinas subterraneas: nunc de histrice dicam, qui item in specus secedit, sed aestiuis mensibus. idq; facit contra morem cæterarum animantium. Eum Græci quidā ἄκανθοχοιρον uocant, quod & similitudinem gerat speciemq; porci bimestris, & spinis erinacei instar hirsutus sit: attamen caput habet leporino similius: aures humanis, pedes ursinis. Iuba ei est superiori parte erecta & priori caua, tuberculata cutis, quæ ex utraq; oris parte sunt, fetas longas & nigras continent ex eis natas, quin reliquæ etiam setæ sunt nigræ. Primæ spinæ à medio oriuntur dorso & à lateribus, sed longissimæ à superiore eorum parte. Quæ singulæ partim nigræ, partim candidæ sunt: longæ duos uel tres uel quatuor palmos. quas, si quando libitum fuerit, ut pauo caudam erigit. Ingressurus in caueam demittit. irritatus iracundia cum cutem intendit, missiles in in ora urgentium canum infigit, aut tāto impetu iacula ut in ligno figat. Dentes ut lepus quatuor habet longos, duos superiori parte, & duos inferiori. Noctu uigilat, interdiu dormit. Vescit pane cominuto

minuto, pomis, pīris, rapis, pastinacis. bibit aquam, sed cupide uinum dilutum. Hoc animal gignit India et Africa, unde ad nos nuper allatum est. Vrſi præter ea se hyemis tēpore in specuū latebras, quas locus ipsis suppeditat, coniunctiunt. quod si nullas suppeditet, eas priorib. pendibus pro manib. usi, faciūt ex tamis & fruticibus cōgēstis et ita constructis ut non recipiant imbræ. in quæ latibula supini irrepunt. Timent enim de suis uestigījs, quod in solo impressa eos uenatori bus prodant. Mares autem quadraginta dies, fœminæ quatuor menses se occultant latebris: quo tempore candidam informemq; carnem & pariunt & lambentes sensim in propriam formā figuram. quod nō ignorauit Ouidius qui canit:

Nec catulus partu, quem reddidit ut
sa recenti,

Sed male uiua caro est. lambendo
mater in artus

Fingit, & in formam, quantam capit
ipsa, reducit.

Abditi primum iacent & arctius dormiunt ad dies quatuordecim, multūq; tam
grauī

graui somno fiunt pingues, deinde resi-
dent & priores pedes fugētes uitam du-
cunt. Ex latibulis uero rursus prodeunt
uerere: mares uralde pingues, foemine non
item, q̄ pepererint eo tempore. aluū astri-
ctā soluunt aro herba deuorata. Etsi ue-
rō ursi sunt audīssimi cædis, tamen ursæ
in homines si prostrauerint se, & os ad
terram uerterint, ac aerem spiritu nō du-
xerint, nullam adhibēt sœ uitiam: sed eos
tantummodo odorantes, tanquam mor-
tuos, quos odiſſe existimant, relinquūt.
ursi autem hominibus nostris noti sunt:
multos em̄ regiones frigidæ gignūt, &
quidem fuscos aut nigros. quorum duo
sunt genera, magni & parui. hi facilius ar-
bores scandunt, & in tantam magnitudi-
nem, in quantam illi, nunquam crescūt.
Vtricq; comedunt carnes, mel, fructus ar-
borum, herbas. Myſia uero albos ursos
gignit, qui pisces, ut lutra & fiber, capi-
unt. Latet etiā in terra hybernis men-
ſibus lacerta: quanquam fuerunt qui ne-
garent eam semestrem uitam excedere.
reliquis autem anni temporibus plerūq;
in rubetis & spinetis solet uersati, ei qua-
dru

drupedi lingua bifida et pilosa; pedes humiles: uerno tempore viridis color, aestiuo non nihil pallidus. Latet lacerta Chalcidica, ex ærei coloris lineis, quib. tergū eius distinguit, nominata. Eadē seps uocat, quod vulnus, si quē momorderit, putrefeat, & sanie male olēte soleat manare. à lacerta viridi nō corporis figura differt, sed colore tantū. Latet lacerta aquatilis, cuius uita est in aqua & in terra, sed crebrius in aqua. Gignit in lacunis opacis, quę in pingui solo sunt, & in quibusdam mœniorū fossis. Parua est, & hāc præter ea habet ab alijs lacertis in colore dissimilitudinē, quod ipsa uel cinerea sit, uel in cinereo fusca. Testudinis aut salamandræ instar tardius ingredit. Irritata si exarserit elata, & quodam modo inflata, rectis pedibus insistit & terribilis oris hiatu acriter oculis intuetur eum à quo fuerit lacerata: manatque sensim lacteo & uiroso sudore usque dum tota fiat candida. Imposita sali caudam mouet ac effugere conatur. nam eum quia ualde mordet, nō potest ferre, statimque moritur: cum alioqui uerberata diu uiuat.

Latet chamæleon

leon, in India & Africa natus: cuius, ut Aristoteles scribit, corpus in lacertæ figuram est formatum. Eius uero, ut piscium, & latera deorsum ducta & directa cum uentre iunguntur, & spina lateribus imminet. Facies simillima simiæ, quam Gebum uocant. Cauda prælonga, quæ in tenue desinit, & lori modo permultis implicatur orbibus. Quum steterit altius quam lacerta abscedit à terra. Crura non aliter ac lacerta inflectit. singuli eius pedes diuisi sunt in binas partes. quæ tandem inter se habent situm, qualem pollex ad reliquam manus partem ei oppositam. Quin etiam hæ ipsæ partes singulæ palmulum in dígitos quosdam diuise sunt: priorum quidem pedum interiores tripartito, exteriores bipartito: posteriorum uero interiores bipartito, exteriores tripartito. Dígiti præterea unguiculos habent similes unguibus animantium, quibus sunt adunci. Totum corpus crocodili instar asperum. Oculi in recessu cauosti prægrandes, rotundi, obducti cuncte simili reliqui corporis cuti. in quotum medio exigua relicta est regio, qua uidet

det: eam nunquam cute operit. Oculum uersat in orbem, & aspectum quoquo uersus refert, atque ita quod uult cernit. Mutat colorem inflatus: cum alias niger à crocodili colore non multum differat: & ut lacerta, pallidus sit. nigris tamen, ut pardus, maculis est uarius. Fit autem mutatio coloris totius corporis: Nam & oculorum & caudæ color nō aliter ac reliqui corporis mutatur. motus eius, ut testudinis, admodum tardus est. Pallescit cum moritur, & uita defuncto idem color insidet. Gulam & asperam arteriam eodem situ cōtinet quo lacerta. Carnem nusquam habet nisi in capite & maxillīs, cætera membra carent ea. Exiguæ uero carūculæ sunt maxillis & caudæ, qua parte corpori est agnata. Sanguinem tantummodo habet in corde, in oculis, in loco cordis superiore, & in uenis hinc ductis: atq; in his quidem per paucum. Cerebrum paululum supra oculos positum, & cum eis continēs est. Cute autem oculorū exteriore detracta complectit quiddam quod uelut annulus æneus tenuis pellucet. Membranæ multæ ac robustæ

bustæ & quæ multo præstant his quæ cę teris sunt, distribuuntur in totū eius corpus. Totus dissectus diu spirat, quod exiguus admodum motus adhuc in ipsius insit corde. Cum omnes corporis partes contrahit, tum uel maxime costas. Lienē qui conspici possit, nusquam continet. Aura uero perhibetur ali: unde Ouidius non modo dulcis, sed etiā doctus poeta:

Id quoq; quod uentis animal nutritur
& aura

Protinus assimilat tetigit quoscunq;
colores.

Stellio etiam latet. figura similis est lacer tæ, natura chamæleonti. nam rore tatum uiuit, & præterea araneis & melle. Eum Nicander ἀσκάλαβον, Aristoteles ἀσκαλάβωτον nominat. Etenim illius tergum guttis stellarū instar lucentibus pictum: ex qua re etiam apud Latinos nomē inuenit. atq; hoc differt à lacerta. Idem γαλεώτης à Græcis uocat. Ut anguis exuie uere membranam hybernā tanquam senectutē: eamq; nisi præripiatur deuorat. Quem momorderit stellio stupor op̄ primit. In Græcia est uenenatus & pestifer

fer, in Sicilia innocens. Aduersatur scor-
pionibus. uitam agit in sepulchris, in ca-
meris, in locis ostiorum & fenestrarum.

Latet præterea hybernis mensibus sa-
lamandra. Etenim hoc anno in Februa-
rio Snebergi maxima uis salamandrarū
ex uiciniis locis collecta agglomerataq;
in ultima cuniculi cuiusdam, quondam
in Molebergum montem acti, tunc ue-
rò instaurati, parte fuit reperta. Et proxi-
mo anno in Nouembri salamandra uiua
ex fonte finitimię sylue per fistulas in hoc
oppidum influxit. Pluuiæ autem & sub-
sequens serenitas salamandas excitant
ex uenis, fibris cōmissurisq; saxonū. hāc
quadrupedem, cui item lacertæ figura,
Germani, quia propter crura brevia tar-
de graditur, Græco nomine μόλυβη ap-
pellant. Caput ei magnum, uenter lutei
coloris, ut etiā ima caudę pars: reliquum
corpus totum alternis maculis nigris &
luteis quasi stellatum distinguitur. Pro-
pter frigus ignem, non aliter ac glacies,
extinguit: quo modo etiam oua serpen-
tium in ignem camini cōiecta flammam
solent extinguere, attamen tam ipsa oua
quam

quām salamandra comburunt. Salamandra autem irritata saniem euomit lacteā. huic animali nec masculinum nec fœminum genus falso putant esse. Testudo etiam terrestris totam hyemē in terra latet, atq; graui somno pressa tempus sine ullo cibo traducit. Scarabei deniq; rutili, & grylli, qui potissimum noctu strident, aridam fodunt terrā, ut in eius cavernis cubent æstate: grylli domestici etiam hyeme. Nam scarabei ante autumnum, imò prius intereunt q; tota ætas effluxerit: grylli agrestes ante hyemem, ut etiam aranei nigri, qui similiter habitant in terræ rimis. At scolopendra in truncis arborum, aut in lignis supra terram locatis, aut in palis terræ infixis, unde nomen inuenit, cum putrescunt & lignitur & uiuit. quibus amotis aut cōmotis egreditur: aliás plerunq; solet latere. Pennis caret, sed plurimos habet pedes: quo circa eam ex Latinis aliij multipedā, aliij centipedā, aliij millepedam uocarūt: si quādo repit, partem corporis medium tanquam arcum intēdit. si bacillo aliaue re tangitur, se contrahit. Color ei æneus,

d 2

corpus

corpus tenue, nec ualde latū, longū uero
 tres digitos, aut summū quatuor. Iam in
 uolucrib. quę se cōdūt, hirūndines riparię
 sunt. Etem plures numero inter se nexæ
 hybernis mēsib. latēt in ripis fluminū, la-
 cuū, paludū, & in littorib. ac scopulis ma-
 ris. unde accidit ut pīscatores interdū ita
 inter se iunctas ex aquis extrahāt. Dicte
 autem sunt ripariæ, quòd soleāt ripas ex
 cauare, & in eis nidos construere ac latē-
 re. has Græci & ἄποδας uocāt, nō quòd
 sine pedibus sint, sed eorum careant usu:
 & κυψέλες, quòd oua pariāt & excubēt
 in cistellis longis, ex luto fictis: quibus
 aditus sit angustus, ut omni anni tempo-
 re belluas & homines uitare, hyeme à fri-
 goribus tutæ esse possint. Hoc differunt
 ab hirundinibus tam agrestib. & dome-
 sticis, quòd tibias habeant hirsutas. Hæ,
 inquit Plinius, sunt quæ toto mari cer-
 nuntur, nec unquam tam longo naues,
 tamq; cōtinuo cursu recedunt à terra, ut
 non circumuolitent eas apodes. Cætera
 genera residunt & insistunt, his quies nā
 si in nido nulla: aut pendent, aut iacent.

Hyeme etiam in caverneis montium,
 et si

et si non in his solis, latēt uespertilio[n]es,
bubones, ululæ, noctuæ, hirūdines, sturni,
palumbes, turtures, merulæ, turdi, a-
laudæ, upupæ: de qua re suprà dixi.

Iam ex aquatilium quæ latent genere
quædam hyeme, quædam æstate condūt
se uel in cœno, uel in arena: & ita quidē
se in ijs condunt, ut reliquum corpus to-
tum tegatur, os sit liberū. Hybernis men-
sibus hi pisces condunt se, primadię, hip-
purus, coracinus, murena, orphus, con-
ger, turdus, merula, perca, thynnus, raia
& omne genus cartilagineum, cochleæ.
Aestiuis uero mensibus condit se glau-
cus, asellus, aurata. Tricenis diebus circa
canis ortum purpura, buccinum, pectē,
delphinus. Iam in numero animantium
quarum uita est in terra pariter & in hu-
more latēt hyeme lacerta aquatilis, de
qua suprà dixi. Crocodilus quoq[ue] spe-
cū eiusdē hyemis uitadæ causa succedit,
& in eo quatuor latet menses. Frigus a-
deò moleste patitur, ut etiam cum nō so-
let latere, interdiu in terra uersetur, in a-
qua noctu. Viuus in Europam raro nūc
affertur; sed mortuū sāpe pharmacopo-

læ in officinis suis de trabe suspendunt. Plinius eius figuram & naturā diligēter est persecutus. quadrupes malū, inquit, & terra pariter ac flumine infestū. Vnū hoc animal terrestre linguae usu caret: unū superiore mobili maxilla imprimit morsum, aliàs terribile pectinatim stipā te se dentium serie. Magnitudine exce dit plerunq; duodeuiginti cubita. Parit oua quanta anseres, eaq; extra eū locum semper incubat prædiuinatione quadā, ad quem summo auctu eo anno egressu rus est Nilus. Nec aliud animal ex mino ri origine in maiorem crescit magnitudi nem. Et unguibus hic armatus est, & cōtra omnes ictus cute inuicta. Hunc saturum cibo pisciū & semper esculento ore in littore somno datum, parua auis, quæ trochilos ibi uocat, rex auium in Italia, inuitat ad hiandum pabuli sui gratia, os primo eius adsultim repurgās, mox den tes & intus fauces quoq; ad hāc scaben di dulcedinem quam maxime hiantes. in qua uoluptate somno pressum conspi catus ichneumon, per easdem fauces, ut telum aliquod, immissus erodit aluum.

In

In eo maior erat pestis, quam ut uno es-
set eius hoste natura contēta. Itaq; & del
phini immeantes Nilo, quorum dorso,
tanquam ad hunc usum, cultellata īest
pinna, abigentes eos præda, ac uelut in
suo tantum amne regnātes, alioquin īm
pares uiribus ipsi, astu interimūt. in uen
tre mollis est tenuisc̄ cutis crocodilo,
ideo se ut territi immergūt delphini, sub
euntesc̄ aluum illa secant spina. Quin et
gens hominum est huic belluæ aduersa
in ipso Nilo, Tentyritæ ab insula in qua
habitat appellata. Mensura eorū parua,
sed præsentia animi in hoc tantū usu mi
ra. Terribilis hæc contra fugaces bellua
est, fugax contra insequentes. sed aduer
sum ire soli hi audent. quinetiam flumi
ni innatant, dorsoq; equitantium modo
impositi, hiantibus resupino capite ad
morsum, addita in os claua, dextra ac læ
ua tenentes extrema eius utrinq;, ut fre
nis in terrā agunt captiuos. Ac uoce etiā
sola territos cogūt euomere recētia cor
pora ad sepulturā. itaq; ei uni insulæ cro
codili non adnatant, olfactuq; eius gene
ris hominum, ut Psyllorum serpentes, fū
gantur

d 4

gantur. hebetes oculos hoc animal dicitur habere in aqua, extra acerrimi uijsus. Quidam hoc unum quamdiu uiuat crescere arbitratur, uiuit autem logo tempore.

Latent etiam hybernis mensibus in terra ranæ omnes, exceptis temporarijs istis minimis, quæ pallent in coeno, & reptant in uijs & littoribus. Haec enim quia non erunt semine, quod effundunt mas & foemina cum complexu uenereo iunguntur, sed expulvere aestujs imbribus madefacto oriri uidetur, diu in uita esse non possunt. Itaque conditur uiridis illa parua, quam Græci & καλαμίτω uocant, quod in arundinetis agere confueuerit: quanquam etiam arbores scandit, atque in herbis uiuit; & βρέφων, quod sono sui generis pluuias futuras prænūciet. Nec enim, ut Plinius a nobis dissentiat, est muta & sine uoce. Verno tempore sæpen numero uidet ex terra eminere media, media adhuc in ea latere. Conduntur uirides ranæ, quæ uersantur in fluuijs atque piscinis, & haec quidem uocales & edules sunt. Conduntur subliuidæ & subcinereæ, quæ item in fluuijs, lacubus, paludibus, lacunis uiuunt, haec

Hę partim uocales & edules sunt, partim
 mutę & nō eduntur: quas hybernis men-
 sibus in terra latere argumēto est, quod
 uero tempore non tantum earū foetus
 conspiciātur in lacunis, sed ipsæ ueteres
 etiam ranæ. Quare uerum non est quod
 scribit Plinius: mirumq; semestri uita re-
 soluuntur in limū nullo cernente, & rur-
 sus uerhis aquis renascuntur, quæ fuere
 natæ: perinde occulta ratione, cum om-
 nibus annis id eueniat. foetus aut earum
 sunt primo carnes paruæ, rotundæ, nigre,
 dein oculis tantū et cauda insigne: quas
 Nicāder quia caudā mouēt, μολυνείδας,
 Aratus quia rotundæ, γυείρας, alijs Græci
 βακχίδας, quasi dicas ranūculos, nomi-
 nant, quorum postea figurantur pedes,
 priores ex pectore, in posteriores findit
 cauda. Conduntur præterea ranæ palli-
 dæ in hortis agentes, quæ nō comedun-
 tur & mutæ sunt. Conditur deniq; rana
 rubeta, quæ ex rubis, sub uepribus enim
 uersari solet, nomen inuenit. eam poeta
 bufonem, Græci φρωνογ uocat. Duo eius
 genera, altera terrena, quæ in domibus
 & uepribus agit: altera palustris, quæ sui
 d 5 gene

generis uocem edit. Vtraq; si bacillo sa-
pius uerberet, inflato corpore virus pri-
mò è clunibus exprimit longius, deinde
sudat: cuius sudoris lacteī guttae admo-
dum grauis & putidi sunt odoris: ac cū
occiditur ferè opij: occiditur autem diffi-
culter. Rana rubeta mulieres ueneficæ
quondam ad ueneficia sunt usæ. Mus
quoq; aquatilis hyeme latet in ripis flu-
minum & riuorum quos incolit. Et ma-
gnitudo ferè muris sylvestris mordet se-
pe manus piscatorum, cum ex foramini-
bus riparū cancros fluuiatiles extrahunt.
Vorat pisciculos paruos, quales sunt go-
biones fluuiatiles & alburni: vorat fœ-
tus lucij, scalaris, barbi, aliorumq;. quocir-
ca ubi magna uis id genus muriū nascit,
riuis uaftitatē solet inferre. Cancer etiā
fluuiatilis succedit ripas, & in eis hyeme
latet, æstate plerunq; uersatur. Iam de-
nique in serpentium genere, qui maxima
ex parte terreni sunt, uipera, quam Græ-
ci ἔχιστην. uocant, hyeme subit saxa. Ea
longa est circiter cubitum, & maculis in-
cinereo fuscis plena. Primò intra se oua
parit: dein his exclusis uiuas animantes.

nec

nec tamē ipsa catulos singulos, ut Nicander & Plinius scribūt, diebus singulis partit uiginti numero: nec cæteræ tarditatis impatientes perrūpunt latera occisa parente: sed ut nobis serpentium speculatores affirmant, uno eodemq; die catulos plerunq; undecim, plures interdum parit: & quidem eis superstes uiuit, Nec uero etiam cum uiperæ cōmiscent corpora sibi circumuolutæ foemina maris caput insertum in os, ut idem Plinius scribit, abrodit uoluptatis dulcedine, nō autem mas modo, uerū etiam foemina natura breuē & quasi mutilam habet caudam, non ut pleræq; aliæ serpentes longam: sed differunt inter se. etenim foemina caput est latum, maris acutum. Cum hīc mordet ac uirus euomit, apparet uerstiglia duorum dentium acutorum: cum illa, plurium. Minori autem uiperæ dif̄fas est assimilis: quæ cum alba sit, eius caudam duæ nigrae distinguunt lineæ: à se ictū inexplicabili siti enecat, ex quo nomen hoc duxit. quin ipsa multū sitit. quo circa immoderato potu onus umbilicus rumpitur, & grauius onus effundit. hanc

hanc aliij causonem, aliij presterē uocant.
sed prester ut corporis forma non mul-
tum à dipsade differat, effectu differt. nā
ictum extemplo sideratione quadā red-
dit immobilem ac mente alienum. mox
pilis diffluentibus cum pruritu ac uētris
solutione absumit. Condit etiam se in
terra, sicuti cæteræ serpētes ferē omnia
uel in saxorum rimis cæcula: ex cæcitat
apud Germanos quoq; nominata. quā
eadem de causa Nicander τυφλῶν, aliij
τυφλίνον nominant. etenim caret oculis.
Color ei in luteo uiridis, & ualde splen-
dens. nunq; pede est longior, nunquam
dígito crassior. ea sicut & uipera, ut Co-
lamella scriptū reliquit, saepē cum in pa-
scua bos improuide supercubuit, lacessi-
ta onere morsum imprimit. Quin am-
phisbæna hebetes habet oculos. itē par-
ua est & tarda, sed biceps. quare alteru-
tro capite, cum ei libitum fuerit, progre-
di uel regredi potest. unde ei nomen im-
positum. densæ cuti color insidet terræ,
uarijs notis distinctæ. Huic non diffi-
milis est figura scytale, sed pinguior. ei
crassitudo quę manubrio ligonis, longi-
tudo

udo quæ lumbrico. hęc cum uerno tem-
pore exuuias posuerit, fœniculo, ut cæte-
ræ serpentes non uescitur. ex baculo no-
men inuenit. Tum hybernis mēsibus
in caua terræ uel loca saxosa ingredit
nātrix à natando appellata. qua de cauſa à
Græcis ex aqua ὑδρο- nominat: & χρό-
συδρο-, quod & in terra & in aqua uer-
setur. Nec assentior Lucano qui chersy-
drum à natrice distinguit. Est autem infe-
ſta & inimica ranis, forma non differt ab
aspide, sed colore, qui ei plerūq; in cine-
reo candidus. Ex natricum genere uide-
tur esse Calabriticus serpens, etiam si ma-
culosus sit. Eum his uersibus describit
Virgilius:

Est etiam ille Calabris in saltibus an-
guis,
Squammea conuoluens sublato pe-
ctore terga,
Atq; notis longam maculosus gran-
dibus aluum,
Qui dum amnes ulli rumpūtur fon-
tibus, & dum
Vere madent udo terræ, ac pluviali
bus austri.

Stagna

Stagna colit, ripisque habitans hic pl
 scibus atram
 Improbus ingluuiem, ranisque loqua
 cibus explet.
 Postquam exhausta palus, terreque ar
 dore dehiscunt,
 Exilit in siccum, & flammatis lumi
 na torquens
 Sævit agris, asperque siti & exterritus
 æstu.

Ex natricum præterea genere sunt boæ,
 in tantam, Plinio autore, amplitudinem
 exeuntes, ut diuo Claudio principe occi
 sae in Vaticano solidus in aluo spectatus
 sit infans. Alunt primo bubuli lactis su
 etu, unde nomē traxere. sunt enim nihil
 aliud quam domesticæ atque uernaculæ
 natiæces. Aspis autem est longitudine
 quatuor pedū, crassitudine hastæ. Color
 non eis unus, nā alijs squalidus, alijs uiri
 dis & uarius, alijs cinereus, alijs igneus:
 maxime Aethiopicis. Oculi hebetes in
 temporibus & iuxta supercilia caruncu
 lae instar calli eminēt. quo circa quasi so
 mniculosa nictare nō cessat. sed animan
 tum strepitu facile excitat. Gignit eam
 Aegy

Aegyptus, Aethiopia, & cæteræ regio-
nes Africæ. Coniuge, utor Pliniū uerbis;
fermè uagantur, nec nisi cum cōpare ui-
ta est. itaq; alterutra interempta, incredí-
bilis alteri ultionis cura. persequit inter-
fectorē, unumq; eum in quantolibet po-
puli agmine noticia quadā infestat. per-
rumpit om̄es difficultates, permeat spa-
cia, nec nisi amnibus arcetur, aut præce-
lieri fuga. Huic ichneumō, qui similis est
mustelæ domesticæ, quam Græci ιχνιδα
uocant, maxime inimicus est. itaq; non
tantum eius oua perdit, sed ipsum etiam
interficit. etenim mergit se limo sæpius,
siccatq; sole. mox ubi pluribus eodē mo-
do se corijs loricauit, in dīmicationē per-
git. in ea caudam attollens ictsus irritos
auersus excipit, donec obliquo capite
speculatus inuadat in fauces. aspides au-
tem Galenus in tria distribuit genera, in
chelidonias, cherseas, ptyadas, à sputo
cognominatas: quas Cleopatra sibi ad-
mouit. Aspis uero frigoris impatiēs hyē-
me inclusus atq; abditus latet in arenis:
ut in cauis fagis aut quercubus dryinos.
ex qua renomen inuenit, eam alij, ut N
cander

cander scribit, hydron, alijs chelydrō nō minant. est enim natrīci, quod ad caput attinet, similis, sed tergum habet cinerei coloris. crassitudo & lōgitudo ei est me diocris anguillæ. grauiter olet. ranarum fœtus, cauda insignes persequit: & eam contra musca magna. At ceraastes ex cornibus nomen traxit, quæ modo cochleæ instar gemina, modo quadrigemina gestat in capite: & quidem corporea. quorū motu, scribit Plinius, reliquo corpore occultato sollicitat ad se aues. alioquid in uiperæ figuram est formatus. Color ei squalidus. in frigidis tamen regionibus reperi natrīci similis figura & colore: quanquam raro in his reperiri soleat. In Africa in arenis & orbitis uersatur: alibi plerunq; in saxorū rimis, in quibus latet hyberno tempore. Aristoteles colubros etiam Thebanos tradit esse cornutos. Hæmorrhōos quoq; in saxorū rimis agit. ea ex profluente sanguine nō men inuenit. nam cum aliquem momoderit prima nocte sanguis erūpit ex auribus, ex naribus, ex ore unā cum sputo, ex uesica cum lotio, ex vulneribus cum sanie.

Sanie: gingiuæ præterea & caro quæ est
sub unguibus, stillant sanguine, si quem
hemorrhois fœmina momorderit, est au-
tem longa pede, non multum crassa, ete-
nim paulatim in tenuē caudam desinit,
colore aliàs cinereo, aliàs candente. Ex
fronte eminent duo cornicula, item cor-
porea. oblique ac tardius serpit, & perin-
de strepit ac si arundines transeat. Huic
figura similis est sepedon, sed corniculis
caret, & contrarie serpit. color ei ruber, à
putredine, quæ mox sequitur eius mor-
sum, nominatur. Porphyrus uero, ut
Aelianus tradit, palmi est magnitudine,
capite candidissimo, reliqua pūrpureus,
morsu innocuus, quippe qui dētibus ca-
teat. inuenitur in Indiæ locis uadosis. ca-
ptam cauda suspēdunt, uiuētisq; ex ore
defluentē liquorē legūt in uasculis ereis.
alterum item ex iam defuncto liquorem
nigrum similiter in altero vase excipiūt.
& hic quidem in esculentis seu poculen-
tis cum grano sesami datus tabe lenta u-
nius uel etiā duorum annorū spacio pau-
latim enecat; ille more cicutæ statim ab-
sumit. Acontias aut, quem Latini iacu-
e lum

lum appellant, ex arborum ramis se iacuti instar uibrat in animal quod præterierit: ex qua re nomen reperit. nec uero solum desuper se uibrat in animal, sed humi positus, si fuerit lacefitus, iaculi modo corpus intorquens eminus petit aduersarium. Cenchrus uero, quam Nican der cēchrinen uocat, ex eo quod crebris maculis milij semini colore similibus, sit interstincta nomen inuenit. de qua Lukanus:

Quam semper recto lapsurus limite
cenchrus

Pluribus ille notis uariata tingitur
aluum,

Quam parvis tinctus maculis The-
banus ophites

Concolor exustis atque indiscretus
arenis.

At basiliscus ex eo nominatur; quod ita ueneno cæteris serpentib. prestet, ut rex purpura & insignibus regis ipsijs, in quos dominatur, antecellit. Caput ei acutum, & color flauus. Cyrenaica, inquit Plinius, hunc generat prouincia, duodecim non amplius digitorum magnitudine, candida
in

In capite macula, ut quodam diademate
insignem. sibilo omnes fugat serpentes.
nec flexu multiplici, ut reliquæ, corpus
impellit, sed celsus & erectus in medio
incedens, necat frutices: non contactos
modo, uerum & afflatos. exurit herbas,
rumpit saxa, talis uis malo est. Creditum
quondam ex equo occiso hasta, et per eam
subeunte ui, non equitem modo, sed equum
quocunque absumptum. Huic tali monstro sae-
pe etenim enectum cōcupiuere reges ui-
dere, mustelarum uirus exitio est. adeò na-
turæ nihil placuit esse sine pari. Injiciunt
eas cauernis facile cognitis sola tabe, ne
cant illæ suo odore moriunturque & natu-
ræ pugnam conficiunt. Basiliscum ex uo-
lucrum, quas Ägyptij uocant ibes, ouis
gigni theologus Cassianus affirmat: uul-
gus ex ouo, quod gallus peperit, mostro
se afferit nasci. qualis fuisse perhibetur is
qui Zuiccae aliquæ homines necauit suo
ueneno. qua de causa dominus cellæ in
qua erat, fores clausit muroque sepserit.

Sequitur draco à uidendo appellatus, q
acrius cernatque cæteræ serpentes. quocir-
ca ueteres eum thesauris custodiendis pre-

c 2 fece

fecerūt: atq; in ipsius custodia ædes, adyta, oracula posuerunt. Est autem ad aspectū pulcher. etenim totus niger, præter uentrem, qui subuiridis, & carnē sub mento, barbæ speciem præ se ferentem, quæ felle tincta uidetur esse. Pellis utriusque supercilij pinguis. Ipse præterea utrinque triplici dentium ordine decorus: nec tamen multum mordens. Pugnat in alijs regionibus cum aquila, in Africa & India cum elephante. Nam in his sunt uicenūm cubitorū. Duplex eius genus: unum terrenum, quod iam descripsi: alterum uolucre, cui ut uespertilioni membraneæ sunt alæ. Id ex uaſtitate Libyæ uento Africo inuehi in Aegyptum Cicero scriptum reliquit. Vnum habui longum sesquipedem, quo Ambrosium Fabianum donaui. cui ferè color crocodili fuit. de hoc scribit Lucanus:

Vos quoq; qui cunctis innoxia numina terris

Serpitis aurato nitidi fulgore dracones

Pestiferos ardens facit Africa, ducitis altum

Aera

Aera cum pennis, armentaque tota se
quuti

Rumpitis ingentes amplexi uerbe-
re tauros,

Nec tutus spacio est elephas. datis
omnia letho.

Nec uobis opus est ad noxia fata ue-
neno.

Vt autem ex dictis serpentibus aliquæ
in calidissimis regionibus nullo anni te-
pore necesse habent latere, certe in are-
nis & rimis saxorum solent cubare.

Serpit etiam teredo. caret enim non
modo pennis, uerum etiam pedibus. sed
ea cui color æneus sub lignis putribus et
nascitur & latet, ac plerunque iuxta scolo-
pendram inuenitur. Crassitudo ipsi est mi-
nimæ pennæ anserinæ, qua utimur cum
scribimus: longitudo scolopendræ. sed
teres est. Hactenus de animantibus,
que in terra latet aliquo anni tempore:
nunc dicam de subterraneis propriis ue-
rebus sic dictis, hoc est de his que intra ter-
ram gignuntur, & semper ferè sub terra,
quasi defossæ uiuunt. Haec autem ipsæ par-
tim in terra siccâ, partim in humida, uel

e 3 in

In aquis subterraneis uitam agūt. Primi generis sunt talpa, mus, rana uenenata, spondylis, ascarides, lumbrici, cochleæ cauaticæ : alterius, pīscēs subterranei. quas animātes singulas persequar: & pri mō quidem talpam. Ea quadrupes est non multum dissimilis muri, cæca tamē. quāquam oculorum effigies, scribit Plinius, ineſt, si quis prætentam detrahat membranam, quæ non est pilis uestita. li quidò audit etiā obruta, extracta ex terra, quam in aruis, magis uero in pratis & hortis, paſſim egerit, diu non potest uiuere. crura habet brevia, quare tarde graditur. digiti, qui in priorib. pedibus sunt quini, in posterioribus quaterni, omnes acutis unguiculis, quibus terram fodit, armantur. pilos aut̄ habet nigrore splendido insignes. qui catulis earum sunt ali. bi. Vescitur ranis, etiam uenenatis, lumbricis, radicibus frugum & herbarum. ex earum pellibus pileoli & cubicularia fiunt stragula. Sequitur mus subterraneus, quem alij agrestem uocāt. Seruius: à Cicerone nitedulam putat nominari. De hoc Virgilius:

ſape

sæpe exiguus mus
 Sub terris posuitq; domos, atq; hor-
 rea fecit,
 Aut oculis capti fodere cubilia tal-
 pæ,
 Inuentusq; cauis bubo, & quæ pluri-
 ma terræ
 Monstra ferunt.

Non autem multo minor est mure ara-
 neo. quin caudam ut ille longam habet
 ac crassam. Corrodit, imò exest, planeq;
 interdum consumit radices lupuli, pasti
 nacæ, rapæ, & reliquorum leguminum.
 Vastat messes: uerum ea pestis non sem-
 per in terra latet, sed nonnunquam egre-
 ditur, et si rarius. Contrà rana uenena-
 ta, quam metallici nostri ex ignis colore
 qui insidet ei, πυείφρωογ, suo tamen uo-
 cabulo nominant, in saxis perpetuo qua-
 si cōdita & sepulta latet. Altius intra ter-
 ram gignitur, & reperit modo in uenis,
 fibris, saxonum commissuris, cum hæ ex-
 cauātur: modo in saxis ita solidis, ut nul-
 la foramina, quæ uideri possint, appare-
 ant, cum cuneis diuidūtur. Quo sanè mo-
 do & Snebergi & Mannisfeldi fuit fi-

uenta. Ea ex subterraneis cauernis elata
in lucem primò turget ac inflatur, mox
de uita decedit. talis etiam rana crebrius
reperitur in Gallijs Tolosæ in saxo are-
nario rubro, candidis maculis distincto,
ex quo molæ fiunt. quocirca id genus sa-
xa omnia priusquā molas ex eis faciant,
perfringunt. quod nī fecerint ranæ, ubi
cum molæ uersantur, concaluerint, infla-
ri solent, & disruptis molis frumenta ue-
neno inficere. Spondylis autem uer-
mis intra terram reperi solet ita conuo-
latus ut uerticilli, quod Græci αὐρόλυλος
uocant, speciem præ se ferat; unde nomē
inuenit. Ei longitudo & crassitudo mini-
mi dīgitū: caput rubrum. sed quia hic uer-
mis caret pedibus, & serpit, Plinius scri-
bit: genus id serpentis est. edit radices cu-
cumeris asinini, chamæleontis nigri, cen-
tauri, peucedani, aristolochiæ, uitis syl-
vestris: cum aliud animal eas non attin-
gat. Sed uermis quadrupes, qui in Maio
natus in agris currit, item crassus & lon-
gus minimum dīgitum, ut pulices terre-
ni, in leguminibus orti, supra terram ui-
nit. Ei corpus molle, nigror splendidus,
gracilis

gracilis isthmus. posterior corporis pars pectori adh̄eret. cum in manus sumitur, eas pingui liquore inficit. pellit urinam, sed unā sanguinem. Ascarides etiam, qui sunt uermes parui, nō unius & eiusdem coloris. nam alij candidi, alij lutei, alij nigri, saepius aratro excitātur. Reperiuntur autem plures in unum aliquem locum congregati. hi uaſtāt fata. etenim ualidas segetes radicibus subſectis encant. At lumbricos, qui item intra terram gignuntur, & oculis carent, pluiae elicunt. Concinne igitur Euclio Plautinus, foliatus de aula auro referta, inquit ad Staphylum:

Foras, foras lumbrice, qui sub terra erepſisti modò,

Qui modò nusquā cōparebas, nūc quom compares peris.

Quin cochleæ in Balearibus insulis, ut Plinius scribit, cauaticæ appellatae, non prorepunt è cauis terræ, neque herba uiuunt, sed uiuæ modo inter ſe cohærent.

Abeo nunc ad alterum animantium subterranearum genus, quod in humidis terræ locis agit: et si lumbrici etiā &

e 5 alias

aliæ quædam id genus animatæ in terra
tantū gignuntur humida. Piscis aut̄ fos-
siles duorum generū inueniuntur, sed in-
tra terram nonnihil teretes ut anguillæ,
sed pelle carēt tenaci: squamis etiam, ut
& gobij. duramq; nec admodum iucun-
dam gustui habent carnē. maiores crassí
sunt fere duos dígitos: minores, dígítū.
Illi lōgi círciter palmos quatuor: hi tres.
Sonum edunt acutum. Eos pharmaco-
polæ in uitrum inclusos de trabe suspen-
dunt, ut spectaculum hominibus prebe-
ant: longoq; tempore alunt pane & alijs
quibusdam. Ex fluminibus autem quæ
currunt in locis paludinosis egressi per
riparum uenas longius penetrant in ter-
ram: & interdum in proximi oppidi cel-
las usq; subterraneas, in quib; uinum
uel zythum solet condi. Attamen Theo-
phrastus scribit eos reperi iuxta fluui-
os & in aquosis locis. Cum enim terram
inundauerit aqua, ex alueis fluminum
egredi in eam: cum decreuerit, relinquī-
In exiccata. Itaq; persequētes humorem
terram subire: dein humore exiccato in
halitu permanere: non aliter ac písces in-
ter

ter cæteros salitos uiuunt. In latebris autem propter sensuum stuporem eos nihil sentire, sed effossos se mouere. Non dissimile ait accidere in Ponto his piscibus quos glacies complectitur. Etenim non prius sentiunt & mouentur, quam in patinam iniecti coquantur. Verum nullos pisces, qui in fluuijs uersari semper soliti fuerunt, post inundationes in locis siccis relictos subire terram uideamus, sed omnes de vita decedere. Itaque cum fossiles pisces etiam in locis, quos non inundauit aqua, soleat inueniri, certum est illos eò per uenas & fibras penetrare. De qua re ultra Albim Orteranti, quod oppidum est ad Polsenicum fluuium, diligenter aduerti. Nec in Germania modo fossiles pisces reperiri solent, sed etiam post Pyrenæos montes, ut Polybius in quarto & trigesimo historiarū libro tradit, usq; ad Narbonem amnem planicies est: per quam fluuij feruntur Iliberis & Rhoscinus fluentes propter urbes eiusdem nominis, quæ habitantur à Celtis. In hac igitur planicie sunt pisces fossiles dicti. In ea enim est terra tenuis &

& multum nascitur gramen. sub quod al-
titudine duorum uel trium cubitorum
per arenam aqua fluminum dilatata flu-
it. Et si quando inundauerint cum aqua
pisces terram subeuntes alimenti causa,
nam mirifice appetūt graminis radices,
planiciem efficiunt refertam piscibus
subterraneis, quos incolæ effodiunt. In-
ueniuntur etiam fossiles pisces circa He-
racleam, & in multis Ponti locis, ut The-
ophrastus memoriae prodidit. Quin, si
Senecæ credimus, sub terra sunt stagna
obsessa tenebris & locis amplis. Anima-
lia quoq; illis innascuntur, sed tarda &
informia, ut in aere cæco pinguiq; con-
cepta, & in aquis torpentibus facta. Et,
ut idem scribit, in Caria circa Idimum ur-
bem cum exilisset unda, periere quicun-
que illos ederant pisces, quos ignoto an-
te eum diem cælo nouus amnis ostēdit.

Postremò in subterranearum ani-
mantium, seu, quod placet theologis, sub-
stantiarum numero haberi possunt da-
mones, qui in quibusdam uerfantur fo-
dinis. Eorum autem duplex est genua.
Sunt enim truculenti & terribiles àspe-
ctu

Etū qui plerunque metallicis infesti atq; inimici sunt. Talis fuit Annebergius ille, qui operarios duodecim amplius flatu interfecit in specu, qui corona rosa-cea appellatur. Flatum uero emittebat ex rictu. Equi enim specie habentis procerum collum & truces oculos dicitur uisus. Eiusmodi etiam fuit Saebergius, nigro cucullo uestitus, qui in fodina Georgiana operarium è solo sublatum in superiori loco maximæ illius concavitatis quondam feracis argēti collocauit, non sine corporis attritu. Certe Psellus, cum sex genera dæmonum definiat numero, hoc cæteris peius esse dicit: quod ipsi amictui sit crassior materia. Quidam philosophi hos & similes dæmones, qui nocentes sunt, & natura improbi, nominant brutos & rationis expertes.

Sunt deinde mites, quos Germanorum alij, ut etiam Græci, uocant Cobalos, quod hominum sunt imitatores. Nam quasi læticia gestientes rident: & multa uidentur facere, quum prorsus nihil faciant. Alij nominant uirunculos montanos, significantes staturam; qua plerunq;

plerunque sunt: nempe Nani tres dorantes longi. Videntur autem esse seneciones & uestiti more metallicorum, id est, uittato indusio, & corio circum lumbos dependente induti. Hi damnum dare non solent metallicis, sed uagantur in puteis & cuniculis: & quum nihil agant, in omni laborum genere uidentur se exercere. quasi modo fodiant uenas, modo in uasa infundant id quod effossum est: modo uersent machinam tractoriam. Quanquam uero interdum glareis laceſſunt operarios, rarissime tandem eos laedunt. Nec laedunt unquam, nisi prius ipsis cachinno fuerint aut maledicto laceſſiti. Itaque non admodum dissimiles sunt dæmonibus, tum his qui raro hominibus apparent, quū quotidie partē laboris domi perficiant, & curent iumenta. quibus quod nostri causa benigne faciant, generiq; hominum sint, aut saltem esse uidentur, amici, nomen imposuerunt Germani. Gutelos enim appellant: tū Trullis uocatis. quos sexu tam mulieris q; viri ementito cum apud alias nationes, tum maxime apud Suevos

nas in famulatu fuisse ferunt. Sed demones montani potissimum laborat in his specubus, e quibus metalla effodiuntur iam, uel ea effodi posse spes est. Quocirca metallici non deterreretur a laboribus, sed omen inde capientes alacrius animo sunt, & uehementius laborent.

A N I M A N T I V M D E Q V I B V S
scribimus nomina, quæ ipsis po
suerunt Germani.

G R A D I E N T I V M

Alce elch/ elend

Aper Wildschwein

Asellus schefflein. in fenestris uer
satur.

Bætræxidæ Kaulkroten

Blattæ Wibel/brotworme/spring
wibel

Betixas laubfrosch

Kalmaritha item laubfrosch

Kaufiougo eichorn

Caprea reh

Ceruus hirs

Chamæleo Germanis est ignotus

Crocodilus crocodil

Cuniculus cunlein

Dama eingemps des hornet vor sich
gebogen sein

Elaos eichorn

Ex

NOMINA

- Erinaceus igel. eius duo genera,
huntsigel vnd sewigel
- Fiber piber
- Formica eims
- Gæλη Wisel
- Glis eichorn
- Glis Fennicus feh/dar von sechberg
vnd schonberg
- Gυρινοι Faulkroten
- Histrix stachel schwein/porcopick
- Ibex steinpock
- Ixris iltes
- Lacerta grunadex
- Lacerta Chalcidica Kupferadex
- Lacerta aquatilis Wasseradex
- Lupus Wolff
- Lupus ceruarius luys
- Lutra otter
- Martes steinmarter/vnd paummar
ter
- Meles days

f

Melium

ANIMANTIVM

Melium ein halsband dar vnd daxs
gefuttert / so man den hunden
anlegt

Μολυρίδες Faulkrotten

Mus alpinus murmelthier

Mus araneus ratte

Mus lassicius lassitz

Mus Noricus pile

Mus Pannonicus

Mus Ponticus hermlein

Mus aquaticus Wassermaus

Mus subterraneus schörmaus

Mus sylvestris haselmaus

Mustela domestica Wisel

Mustela sylvestris iltes

Μυάλη ratte

Μύσκιονθ eichorn

Noerza noerz

Platyceros damhirs

Pulices terreni erdfloh

Πυρίφρωθ scürtkrote

Rana

NOMINA

- Rana rubeta Krote
Rana temporaria reinfroschlein
Rana uenenata fossilis seürkrote
Rana uiridis parua laubfrosch
Ranæ uirides, subliuidæ, subcinea-
reæ frosche
Rupicapra ein gempf des hornet
hinderzlich gebogen sein
Salamandra molch
Scarabeus, de quo hic loquimur,
sewkefer
 Σ κιονρ Θ eichorn
Sorex spitzmaus/felmaus
Stellio Tarantula
Talpa molwurff
Tarandus reen
Testudo schiltkrote
Tragelaphus brandhirsche
Vermis in Maio natus meiworm
Viuerra surette vnd hamster
Vormela Wormlein
- f 2 Virsus

ANIMANTIVM

Vrsus beer
Vulpes fuchs
Zobela zobel

VOLANTIVM

Alauda lerch
Anas immansueta Wilde ente
Anser immansuetus Wilde gans
Apis pien
Apodus spirschwalben
Aquila adler
Ardeola reiher
Attagen haselhuhn
Bubo grosshuhu
Ciconia stord
Cornix Krahe
Coruus aquaticus Wasserrabe
Coruus, cuius caput rubra macula est insigne holkrahe
Coruus nocturnus nachtrabe
Crabro horlitze

Cuculus

NOMINA

- Cuculus Fuchſück
Kúſeſor spirschwalben
Fulica Wasserhun
Galgulus hemmerling
Gryllus domesticus hausheim
Gryllus agrestis feldheim
Halcyon fluuiatilis eiswogel
Hirūdines domesticæ hausschwal
ben agrestes maurschwal
ben ripariæ spirschwalben
Ibis auis Ægyptia Germanis igno
ta
Ix̄tōg hemmerling
Locusta heuschrecke
Mergus teuchet
Merula amſſel vnd ſehamſſel
Miluus Wei ader hunerath
Noctua ſchlaerule/ſtockeule/ſteineule
Nuktrikōgæſ nachtrabe
Olor ſchwan
Onocrotalus ſchnegans

ANIMANTIVM

- Palumbes holztaube vnd ringeltaube
Perdix rāphun
Pica agelester
Picus specht
Γυργονόραξ holbrahe
Querquedula Erichentlein
Sturnus står
Tetraones pirc'huner vnd auerhān
Turdus krametvogel/zimer/Weindrußschel/zipdrusschel
Vespa Wespe
Vespertilio fledermaus
Vlula huhu
Vpupa Widehopfe
Vultur hasengeit

NATANTIVM

- Alburnus Weisfisch
Asellus,in Italia Asino
Aurata,Venetij's Auraia
Barbus

NOMINA

- Barbus parme
Buccinum, in Liguria corneto
Cancer fluuiatilis Krebs
Conger, in Italia congro
Coracinus, Neapoli coracino
Delphinus mehrschwein / dar von
Kompt salspeck
Esox lays
Glaucus
Gobio fluuiatilis schmerle
Hippurus
Lucius hecht
Merula, Massiliæ roquando
Murena, in Italia murena
Orphus, in Sicilia cernha
Pisces fossiles peist̄er vnd merput-
ten/ qui sunt crassiores
Pecten, Venetijs cappe
Perca berse
Primadia
Purpura, in Græcia porphyro
- f 4 Raia

ANIMANTIVM

Raia roch
Salar shure
Salmo salm
Sturio stör
Thynnus thunno
Turdus, Massiliæ roquando

SERPENTIVM

Acontias, ignotus Germanis
Amphisbæna, ignota
Aspis, ignota
Boa vntē
Basiliscus, ignotus
Cæcula blindschlüche
Calabricus serpens, ignotus
X̄̄ρουδος natter
Cenchrus, ignota
Cerastes hornichre schlange
Dipsas, ignota
Draco drach
Dryinos eichschlange

Hæmor

NOMINA

- Hæmorrhous, ignotus
Natrix natter
Porphyrus, ignotus
Scytale, ignota
Sepedon, ignota
ΤυφλίνΘ blindschleiche
Τυφλώτ blindschleiche
Vipera, Italis marasso
YōθΘ natter

VERMIVM

- Ascarides erdworme
Lumbricus reinworm
Spondylis engerle
Teredo Kupferworm

DAEMONVM

- Demon subterraneus truculentus
bergteufel mitis bergmen-
nel/kobel/guttel

f 5

INDEX IN LIBRVM PRAECEDENTEM

A

A Contias	65.66
A Aelianus	4.65
A enariæ coloni terræ motu & calidaru aquare effusionib. sedibus exacti	10
A γανθόχοιρος, qui & histrix	43
A laudæ 16 hyeme latent in cauerñis montium	53
A lbertus Magnus	11
A lce	24
A mbrosius Fabianus	68
A mphisbæna	60
A nates immansuetæ	14
A nimal incognitum repertum in Nori- co	11
A nimantes subterraneæ quæ proprie & sint & dicantur 9.69 quæ in terra sic ca 70 quæ in humida agant 73.74	
A nimantium subterranearum tria gene- ra	16
A nimantes omnes natura mutationem sentire	9
A ni-	

I N D E X

- A**nimantes quæ in regionē ē quæ egfes-
 fæ sunt non reuertuntur 9.10.11 quæ
 reuertuntur 12.13
Animantes frigoris aut caloris uitandi
 causa locum mutantes 12.13
Animātes quæ noctu uel interdiu in ca-
 uernis terræ delitescunt 16.17.18. &
 deinceps
Animantes quæ in terra latēt aliquo an-
 ni tempore 30.31.32. & deinceps usq;
 ad pag.70
Anseres immansueti 14
Aper 24
Apes 15
Amōdes, quæ & xv̄tēlōi 52
Aquatilia quæ aliqua anni parte se in cœ-
 no uel arena condunt 53
Aquila Northusæ mortua 11.12
Aquila à lanio Dincelspyhelenſi occi-
 fa 12
Aranei nigri 51
Aratus 57
Ardeola 14.26.33.47
Aristoteles 4.8.49.64
Aristophanes 28
Arces

INDEX

Arces subterraneæ.	18
Ascalabus, & ασκαλαβότης, qui & stel-	
lio	49
Ascarides	70.73
Aselli rimis parietum occultantur	15
Asellus piscis æstiuis mensibus se con-	
dit	53
Asio noctuæ species	28
Aspis, & eius genera	62.63
Attagenes	14
Aues hyeme in cauis arboribus laten-	
tes	15.16
Aues luteæ	8
Aues quædam cur uerno tempore con-	
spiciuntur implumes	16
Aues nocturnæ	27
Aurata æstiuis mensibus se condit	53
B	
Basiliscus.	66.67
Bæfæchides	57
Blattæ parietum rimis occultantur	15
Boæ ex natricum genere	62
Bœfæs, rana	56
Bubo	27.53
Buccina	53
Bufo	

I N D E X I

Bufo 57

C

C Ancer fluviatilis	58
C alabricus serpens	61
C aprea	24
C assianus theologus	67
K āswē	24
C astorea	24
C aucasus mons	17
C auson quæ & dipsas	60
C æcula hyeme se condit in terra	60
C ellæ subterraneæ	12
C enchrus serpens	66
C entipeda quæ & scolopendra	51
C ephi Aethiopici	11
C eraastes	64
C eruus	24
C iconiæ	14
C hamæleon 46.47 aura alitur	49
X εματυπέα	19
C helydros	64
C herfydros	61
C cero	68.70
C irce	18
C leopatra aspidas ptyadas sibi admouit	

63

Colu

INDEX

Columella	60
Cœnobium subterraneū in Sedunis	18
Corpus subterraneum & eius diuīsio	7
Coruus aquaticus	14
Coruus qui ῥυρρόνθραξ	16
Coruus pīscis hybernīs mensibus se con-	
dit	53
Conger	53
Cochleæ	53
Cochleæ cauaticæ	70.73
Colubri Thebāni cornuti	64
Crabrones sylvestres	15
Crocodilus 53.54 ad insulam Tenty-	
rītarum non adnatat	55
Cuculus	16
Cuniculus	20
Cymbri	10

Vide etiam in Kappa.

D

Dama	24
Dantisci bona pars uulgi sub terra	
habitat	20
Dæmones subterranei, & eorū duplex	
genus	76.77.78
Delphinus	53
Delphi	

I N D E X

D elphinus hostis crocodili	55
D ioscorides	3
D ipsas	59
D omus in Armenia maiori quales	17
D raco 67 cum aquila & elephante pugnat	68
D ryinos	63

E

E as Aristoteli glis dictus	33
E rinaceus hyeme in cauis arborib. se condit	15.22.30
E fox	14
E xodus	58

F

F lber, & eius descriptio	22, 23, 24
F ibri pelles & testes	24
F ormicæ	15
F ossæ Prenestinæ	19
F ulica	14
F ulius Hirpinus uiuaria gliribus insti- tuit	35

G

G Algulus	13
G raeiatæ, qui & stellio	49
G alenus	63
G ætas	

INDEX

<i>ræs, quæ uisela</i>	<i>37</i>
<i>Ganeum</i>	<i>19</i>
<i>Glaucus piscis hybernis mēsibus se con-</i>	
<i>dit</i>	<i>53</i>
<i>Glis</i>	<i>15.32.33.34</i>
<i>Glis Fennicus</i>	<i>33.34</i>
<i>Gliraria</i>	<i>34</i>
<i>Gothi ex Scandia in Sarmatiam & Da-</i>	
<i>ciam</i>	<i>10</i>
<i>Grues ab ultimis quasi terris in ultimas</i>	
<i>discedunt</i>	<i>14</i>
<i>Grylli domestici, agrestes</i>	<i>51</i>
<i>ruevros</i>	<i>57</i>

H

<i>H</i> Alcyones marinæ, fluuiatiles	<i>26</i>
<i>Hamester qui à quibusdam crice-</i>	
<i>tus</i>	<i>41</i>
<i>Hamestri appellatio in hominem uora-</i>	
<i>cem apud Germanos</i>	<i>42</i>
<i>Hæmorrhœos</i>	<i>64.65</i>
<i>Hippurus piscis</i>	<i>53</i>
<i>Hirundines hyeme in loca tepidiora se-</i>	
<i>cedunt</i>	<i>53</i>
<i>Hirundines ripariæ, quæ & ἄποδες &</i>	
<i>κύψελαι</i>	<i>52</i>
<i>Histrix</i>	

I N D E X

H istrix hybernis mensibus in specus se- cedit	43
H istris descriptio	43
H oensteinum	19
H omerus	18
H omines cauernas succedentes, qui ex eo Troglodytæ	17.29
H omines sylvestres Scricfinniae	17
H ydrus	61.64

I

I aculus serpens	65.66
I bex	24
I bis Aegyptia 67 in Alpibus uisa	11
I chneumon crocodilo inimicus 54 aspi- di	63
I ctis mustelæ genus	38.63
I ctis pellis, prouerbiū apud Germa- nos in uilissimū & maxime foetidum scortum	38.39

K

K alæmīzg rana	56
K amψίδρΘ, Latinis glis	33
K īkīabāw, sonus quem ululæ edunt	28
K ēbālēi, dæmones hominum imitato- res	

I N D E X

<i>res</i>	77		
<i>Kύψειοι, quæ & άποδει</i>	52		
L			
<i>Lacerta Chalcidica quæ & seps</i>	46		
<i>Lacerta hybernis mensibus in terra latet</i>	45		
<i>Lacerta à stellione quomodo differat</i>			
	49		
<i>Lacerta aquatilis</i>	46.53		
<i>Lacerta uiridis</i>	28		
<i>Lagopus</i>	26		
<i>Lepus</i>	24		
<i>Locustæ in Pannonias, Daciam & Lygi os proximis annis inuolarunt</i>	11		
<i>Lubeci bona pars uulgi sub terra habitat</i>	26		
<i>Lucanus</i>	66.68	<i>reprehensus</i>	61
<i>Lumbrici</i>			70.73
<i>Lupus</i>			24
<i>Lupus ceruarius</i>			24
<i>Lurida, uuis</i>			13
<i>Lutra, & eius descriptio</i>			20.22.23
M			
<i>Martialis</i>			34.39
<i>Meles</i>	20.21.24.25	<i>caninus</i>	
		<i>suil</i>	

INDEX

<i>suillus</i>	25
<i>Melia</i>	26
<i>Mergus</i>	14
<i>Merulæ</i>	16.53
<i>Merula pīscis</i>	53
<i>mόλυν</i> Græco nomine Germanis, quæ <i>salamandra</i>	50
<i>μολενέιδες</i> ranæ	57
<i>Mus Alpinus</i>	30.31.32.33
<i>Mus araneus, qui & μυγάλη</i>	36.37.71
<i>Mus aquatilis</i>	58
<i>Mus sylvestris</i>	36
<i>Mus Lassicius</i>	35
<i>Mus Noricus, qui citellus</i>	35
<i>Mus Ponticus</i>	15.35
<i>Mus Pannonicus</i>	36
<i>Mūs σκίσρω</i>	33
<i>Mus subterraneus, qui & agrestis</i>	70.71
<i>Multipeda & milipeda, quæ & scolo-</i> <i>pendra</i>	51
<i>Murena hybernis mensibus se cōdit</i>	53
<i>Mustela</i> quæ propriæ γάλη 37 quæ iuxta 38 quæ martes 39 quæ Germanis zobela	40
<i>Mustelarum uirus basiliſco exitio</i>	67
g 2	Natrix

INDEX

N

N atrix hyeme in caua terræ ingre-	
ditur 61 eius genera	61.61
Nicāder 49.57.60.64.66 reprehēsus 59	
Nitedula	70
Noerza	40
Noctua	27.28.53
Noctuarum genera	28
Nycticorax	27.28

O

O lores	14
O nocrotalus	14
Opianus	4
Orphus pīscis hybernis mēsibus se con-	
dit	53
Ouidius	30
Oua serpentium in ignem cōiecta flam-	
mam restinguere	50

P

P alumbes	16.53
P ecten	53
Perca	53
Perdix	14
Perfarum reges hyberno tēpore Baby-	
lone, uerno Sulis, æstiuo in Ecbatanis	
dege	

INDEX

degebant	13
πνεύφρωθ	71
Φρώθ, rana rubeta	57
Picus	16
Pisces uitandi caloris & frigoris gratia	
mutant locum	14.15
Pisces fossiles	75.76
Platyceros	24
Plinius	4.11.25.35.52.62.63.64.66.70
72.73 reprehensus	56.57.59
Polybius	48.75
Porphyrius.	4
Porphyrus serpens	65
Prester à dipsade differt	60
Prenestinæ fossæ	19
Primadiæ	53
Psellus	77
Psyllorum olfactu serpentes fugant̄	55
Pufhardum	18
Purpura	53
πνεύσον, bestiolæ	8
Q	Q
Verquedula	24
g	3
	Raia

INDEX

R

R	Aia	53
	Ranarum diuersa genera	56.57
	Rana rubeta	57.58
	Rana quæ καλαμίτης	56
	Ranæ temporariæ	56
	Rana uenenata	70.71.72
	Renum doloris medicamentum	25
	Reinesteinum	18
	Rupicapra	24

S

S	Al inimicum lacertæ aquatili	46
	Salamandra, quæ Germanis Græco nomine μόλυ	50.51
	Salmo	14
	Scandia	10.17
	Scarabei rutili	51
	Scolopendra	43.51
	Scrifinniæ syluestres homines	17
	Scytale	60
	Σκίσρο	33
	Seneca	76
	Sépedon	69
	Seps seu lacerta Chalcidica	46
	Serpentes hyeme latentes	58.59
	Serpens	

et cetera

INDEX

Serpens Calabricus	61.62
Seruius	70
Sorex	36
Spondylis uermis	70.72
Stellio	49
Sturio	14
Sturni	16.53
Subterraneum corpus, &c eius diuissio	7
Sibyllæ Cumææ antrum	17
T	
T Alpa	70
Tarandus	24
Tenedi insulæ piscatores rupium specu bus pro domibus utuntur	17
Tentyritæ	55
Teredo	69
Terrarum quasdam oras onera, qui bus premuntur in alias sape depone re	10
Tetraones	14
Teutones	10
Thebani colubri	64
Theophrastus	3.6.74.76
reprehensionis de piscibus subterraneis	75
Testudo terrestris	51
g 4	Thynnus

INDEX

Thynnus	14.53
Tragelaphus	24
Troglodytæ	17.29
Trochilos crocodilo dentes & fauces re purgat	54
Trulli dæmones	78
Turdi	16.53
Turdus piscis	53
Turtures hyeme in cauernis montium latent	16.53
Τυφλῖνθ-, Τυφλῶν-	66
V	
VArro	25.28.34
Vermis quadrupes in Maio natus	54
Vespertilio	27.28.29.53
Vespæ	15
Vipera quæ ēχιστæ	58.59
Virgilius	61.70.71
Visela quæ γάλ,	37
Viæterra	25.41
Vlula	27.53
Volucres quæ hyeme se condunt in terra	52
Vormela	42
Vpupæ	

INDEX

Vulpæ	16, 53
Vrsus.	44, 45
Vulpes	20, 21, 22
Vultur	14
	x
X Enophon	17
	z
Z Obela mustelæ species	40

DE ANIMANTIBVS SVBTERRA-
NEIS INDICIS FINIS

CASTIGATIONES LIBRORVM
Deortu & causis subterraneorum

Pag. 10. uers. 4. quibus, non quas 11. 17.
efficiūt 34. foderint 40. trāsiret 13. 25
circumstetit, non circumserpit 14. 40.
qui aquis calidis scaturiūt 18. 27. Elbo
ga 30. 22. disserpunt, non discerpunt
48. 34. lapides enim plerosq; omnes ui-
demus bene compactos & coagmenta-
tos solidosq; 54. 36. oritur 61. 23. ami-
antum 65. 31. amianto 39. amiantus
66. 4. antimatus 8. amiantū 70. 29. Mau-
ritanus 74. 33. nituntur.

Castigationes quatuor librorum Den-
tura eorum quæ effluunt ex terra.

86. 32. Strato Lampsacenus 87. 16. uo-
litent 89. 8. persequunt̄ 36. octingēta
99. 9. sub Desteromonte 14. Vicelebio-
rum 101. 5. acidulæ 102. 19. in Sicilia
Palicorum fons 113. 16. chiragræ 30. ni-
mis frigidæ 114. 24. colicis 117. 9. la-
custris 119. 9. Iusgū, nō Cescū 120. 27
Cassinitū 122. 32. Salone, nō Sulmone
127. 31. quæ ad meridiem 128. 22. Don-
dorfi

dorfi 35. fontem Palicorum in Sicilia
135.18. Appia, nō Appiana 19. Cimina,
non Cumina 136.35. tēperet 141.37.
nimis autem frigidæ 144.32. & aquæ
instar, non & tanq̄ aquæ instar 149.23.
plethrum, nō iugerū 150.26. per quen-
dam quasi cuniculum cæcūtaut in altum
per quendam quasi puteū cæcum. uterq;
autem, &c. 154.31. Fesulanos 155.35.
quoad caruerit 162.35. Bithyniæ 163.
25. Hirsepergenses 30. Vetulonios.

Castigationes decem librorum De natura fossilium

174.32. naufragium 183.27. possunt. 190.
33. aquis mollitæ, uel manus bactæ
200.26. etenim dicit eam, non etiam
203.37. in modico 212.29. in terra reper-
tum aut cæditur 30. id, nō is 216.5. quo-
uitrum uitro iungitur 217.33. refertum
non repertū 223.37. Suditorū 234.6,
circumdat 254.37. illinēdi 256.34.36.
illinendi 257.22. Desteri 264.8. nitro,
non intro 267.22. Motescha 268.24.
callimus 287.12. unde eadem, nō unde
& eadem 289.2. genus, non pellucens
24. sma

24. smaragdi 292.27. separatur 301.34
perraro autem talis est 305.19. & pumicosa,
non est pumicosa 341.30. & coloris.
& omittendum 345.35. quem Grę-
canicam uocant 17. aeris uero decē, non
uiginti 361.18. quē habent 374.36. illa
complectitur uel argentū, uel argētum
uiuum: hæc, &c.

Castigationes librorum Deuete-
ribus & nouis metallis

387.15. exponenda 388.20. & ut ait En-
nius 402.28. amnis 403.37. nō unum
abundat 405.12. autem 406.1. tractus
Vispani 409.21. μετάχαλιθρ 34. Torin-
giam

Castigationes Bermanni

426.2. Pleistadum 430.7. interea nihil,
desideramus 432.18. ducentorū ferme
passum, non orgyarum 21. quingentos
passus alti, non orgyas 439.28. adiudi-
candum 444.19. ne quid inflammatis.

FINIS

**BASILEAE APVD FROBENIVM
ET EPICOPIVM MENSE AV-
GVSTO M. D. XLIX.**





